Vol. III. — Fasc. IV. 31 decembris 1928.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

IV.

MAIO - DECEMBRI 1928.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:

P. XTI.

Varios de Societate eiusque ministeriis nuntios, ut superiore epistola promiseram (1), dum colligere incipio, ecce novum illudque insigne Summi Pontificis in nos benevolentiae testimonium, quod profecto primum hic iure sibi vindicat locum.

Pontificia in Societatem benevolentia.

1. — Litteras dico *Quod maxime* die 30 septembris huius anni a Pio Papa XI Motu proprio datas, quibus Pontificia Universitas Gregoriana et Pontificia Instituta Biblicum et Orientale ita invicem consociantur, ut, quamquam singulis Athenaeis plena manet autonomia, unam ecclesiasticorum studiorum in Urbe Pontificiam Universitatem efficiant. Cum ipsum documentum et ad omnes Provincias iam missum sit et in *Actis Apostolicae Sedis* vulgatum et in nostra *Acta Romana* (2) proxime sit inserendum, illud minutatim perpendere non huius est loci; sed vel ex sola eius lectione facile quivis persentit quanti a Summo Christi Vicario fiat Societas, cui tripartita illa Pontificia Universitas cum omnibus iuribus et privilegiis iterum atque iterum commissa edicitur et confirmatur. Biblicum vero Institutum nova praeterea inde acquirit beneficia: a Pontificia enim Commissione Biblica subducitur et ab uno Summo Pontifice

(1) V. supra, pag. 120.
(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 36–42.

immediate pendens declaratur, eique plena fit potestas quosvis in Sacris Litteris academicos gradus conferendi, doctoratu non excepto.

Quod autem *Motu proprio* hae Apostolicae Litterae datae dicuntur, id non ex mero canonico titulo neque solum ex stilo Curiae est repetendum, sed nativo verborum sensu prorsus asseri debet. Unus enim Beatissimus Pater id primum mente concepit, id firmiter voluit et exsequendum assidue curavit, ideoque, ut Ipse lepide ait, hoc documentum non proprio, sed *propriissimo* motu editum est.

Statim ut prima exemplaria praesto erant, quatuor Suo nomine Patri Nostro tradi iussit, ut Curiae Societatis, Universitati Gregorianae, Instituto Biblico, Instituto Orientali tantae Pontificiae benevolentiae testimonium sine mora innotesceret.

Quanti autem faciat Sanctitas Sua hoc suum decretum, non semel deinceps aperte declaravit. Nam et multa ex eo Ecclesiae universae profutura emolumenta Se sperare quibusdam id gratulantibus sponte dixit, et Patri Rectori Instituti Biblici gratulatorias epistolas a variis Episcopis Se ob id accepisse laetus nuntiavit; litteris autem per Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status die 4 novembris ad P. Rectorem Universitatis Gregorianae datis asseruit Se id efficiendum decrevisse, " non modo ut aptius ita altiorum sacricolarum studiorum incremento consuleret, sed ut memorem etiam eandemque singularem benevolentiam Suam ostenderet erga *Almam istam scientiarum Matrem*, quae Ipsum, ante multo, inter suos alumnos excepit " (1).

Ad Orientale Institutum quod attinet in hoc quidem Motu proprio non multa dicuntur; sed ad Encyclicas Litteras " Rerum Orientalium " die 8 septembris datas reiicitur, quibus de eo deque orientalibus studiis fovendis sollemni admodum ratione Summus Pontifex omnes catholicos Antistites et Christifideles universos allocutus erat. In iisdem Litteris pulchra de Societatis erga Sanctam Sedem obedientia fit mentio; nam, Instituti Orientalis initiis commemoratis, Beatissimus Pater haec addit: " Porro praecaventes ne unquam virorum copia in posterum deesset qui orientalibus disciplinis tradendis pares essent, idque facilius rati Nos esse assecuturos si unam Religiosorum familiam tantae rei gerendae praeficeremus, Nostris Ipsi litteris, die XIV septembris anno MCMXXII datis Praeposito Generali Societatis Iesu praece-

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 55.

pimus ut, pro amore suo debitaque Sanctae Sedi Christique Vicario obedientia, difficultatibus quibuslibet superatis, omnem Instituti administrationem susciperet hisce legibus: ut, eiusdem Instituti magisterio supremo Nobis ipsis Nostrisque successoribus avocato, Praepositi Generalis Societatis Iesu esset, viros ad Instituti munera, difficillima sane, idoneos comparare, sive Praesidis sive doctorum; utque perpetuo, cum per se ipse tum per Praesidem, Nobismet Nostrisque successoribus approbandos proponeret quos ad varias Instituti disciplinas tradendas deligere censuisset, eaque demum omnia referret quae ad eiusdem Instituti vitam tutandam atque incrementa fovenda conducere viderentur. — Iamvero, sexto mox anno elapso, cum haec decernere, nec sine quodam divino instinctu, placuit, licet Nobis gratias Deo maximas agere quod Nostris laboribus messis iam laetissima arriserit „ (1).

Et singula laudando prosequitur Summus Pontifex, quae sive in scholis sive scriptis commentariis ad studia orientalia promovenda a Patribus Instituto addictis sedulo praestantur. Quin et " Berytensem Societatis Iesu studiorum Universitatem, hodiedum florentissimam „ a Leone XIII amplissimis laudibus decoratam fuisse commemorat et Sibi carissimam esse proclamat.

Faxit Deus ut Societas Patri amantissimo digne semper satisfacere possit!

Insectationes in Societatem.

2. — Haec paterna Summi Pontificis benevolentia tanto nobis est carior, quanto opportunius nobis solamen affert mediis in calumniis et insectationibus, quibus undique etiam nunc Societas vehementer impugnatur. Mitto ridiculas illas fabellas identidem repetitas de ingentibus Iesuitarum thesauris sive in Bolivia sive in aliis regionibus olim conditis et mox effodiendis; quae quidem fabellae vix non innocuae viderentur, nisi vel prudentes viri sensim sine sensu falsam inde de nostrae rei familiaris conditione ideam haurirent. Haud parvo contra nocumento Societati sunt famosi isti libelli, qui ficto *J. de Récalde* nomine, in omnes orbis plagas iterum nova quadam liberalitate gratis et late sparguntur; quamquam huiusmodi libelli passim noti iam sunt, et a cordato quoque viro aut vix leguntur aut saltem non magni fiunt, utpote qui nimis aperte Societatem data opera in invidiam adducere contendant.

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 30.

Attamen ipsa effusio, qua huiusmodi scripta quaquaversus proiiciuntur potius quam distribuuntur, satis ostendit Societatis adversarios pro certo habere se non inanem laborem suscepisse, praesertim apud utrumque clerum et apud iuniores. His revera callide admodum insidiantur: scimus, exempli causa, hic Romae in singulis fere publicis lycaeis singulos haberi horum libellorum largitores, qui ingenuos adolescentulos his pessimis donis cumulant; et vix fieri potest quin talis lectio eorum animos a Societate avertat, vocatione quoque fortasse oppressa atque exstincta.

Quanto autem animi quasi furore contra nos ignoti isti scriptores ducantur, vel inde apparet, quod ne ab aliis quidem Societatis merita commemorari patiuntur: ideoque saeviunt in praeclarum illum Summorum Pontificum historiae scriptorem, quem nuper e vivis ereptum dolemus, Ludovicum von Pastor, quasi nimis in Societate laudanda commoretur.

Huc addi poterant quaedam maiora opera recens edita, eodem contra Societatem spiritu a catholicis viris atque etiam a sacerdotibus conscripta: sed haec, quippe quae ob eorum indolem ac molem haud multum in vulgus spargi possint, minus forte nobis nocent.

Non ita pridem autem minores quoque libelli, ab alio ficti nominis auctore (*Luc–Verus*) editi, late diffundi coepti sunt: dicuntur quidem " *Vérités* „ sed calumniis callide velatis omnino scatent. A Recaldianis opusculis, praeterquam ob externam formam ac longe minorem paginarum numerum, discrepant etiam in hoc, quod simul cum Societate fere semper Eminentissimum quoque Cardinalem Petrum Gasparri Secretarium Status, vituperant nec ipsi Summo Pontifici, etsi simulata cum reverentia, parcunt.

Quod si talia ab iis, qui catholico nomine gloriantur, contra Societatem proferuntur, nihil mirum quod apud haereticos et incredulos antiquae putidae calumniae centies refutatae iterum atque iterum reviviscunt, et v. gr. laxam immo perversam Iesuitarum moralem doctrinam rigidi isti censores denuntiant aut passim conclamant Iesuitas pro tessera habere illud: " finis sanctificat media „. Verum non semper impune id blaterant acerrimi Societatis hostes: quandoque enim huiusmodi calumniatores ab intrepidis veritatis propugnatoribus in iudicium vocantur debitis poenis multandi. Ita hoc ipso anno factum est cum in Norvegia (18 ianuarii) tum in Hungaria (15 februarii): ibi a Rev. D. Caelestino Riesterer contra quandam feminam Martham Steinsvik, hic a Rev. D. Iulio Czapik

contra advocatum Desiderium Polónyi; utrobique autem tam felici exitu ut tribunalis sententia in verum Ecclesiae catholicae eiusque doctrinae triumphum verteretur. Sed cum haec longiorem narrationem mereantur, ad peculiarem articulum, quem in hoc eodem fasciculo invenietis, vos remitto.

Inter Societatis insectationes liceat demum commemorare pessima quaedam crimina contra Nostros aliquos patrata, eo magis quod non defuerint qui ea nobis ipsis imputare veriti non sint. Et sane, cum die 11 februarii huius anni 1928 Fr. Coad. Felix Paredes (Prov. Franc.) in suo cubiculo a latrone etiam nunc ignoto Parisiis crudeliter interfectus esset, eo usque pervenit effrons nostrorum inimicorum impudentia, ut rumorem spargerent a Nostris ipsis, Patre Nostro iubente, necem commissam fuisse. Item cum Romae die 27 eiusdem mensis februarii P. Petrus Tacchi Venturi (Prov. Rom.) ab ignoto quodam iuvene in domestico collocutorio (levissime quidem, Deo favente) vulneratus esset, totam rem nonnulli aut simulationem quandam iesuiticam aut domesticae invidiae facinus esse suspicati sunt. Verum paucorum haec fuit malignitas, quam delevit ingens totius paene dixerim Urbis de scelere indignatio et de Patris incolumitate gratulatio.

Mirum autem quod paulo ante haec duo crimina, simile quid etiam in America acciderit, etsi nulla ratione cum his coniunctum esse videatur: die 22 ianuarii P. Achilles Bruno (Prov. Calif.), dum in urbe Tacoma summo mane e Residentia ad ecclesiam Sanctae Ritae Missam celebraturus se confert, ab ignoto homine a tergo violenter in capite ter percussus, calvaria bis fracta, in grave vitae discrimen adductus est. Sed plurimae ad Deum fusae preces obtinuerunt ut post mensem Pater iam sanus dici posset.

Quae vero idem Pater Bruno, facinus contra se patratum referens eiusque auctorem, utut populari rumore designatum, certo agnosci non posse affirmans, addebat: " Mihi satis est scire me nullam iustam dedisse flagitio causam „; haec eadem, humili cum sinceritate, contra impugnatores de se affirmare potest ipsa Societas, siquidem pro sua tenuitate unice ad maiorem Dei gloriam amplificandam ubique totis viribus operam dare non desistit.

De Societatis ministeriis et operibus.

3. — Haud facile tamen dictu est quot labores exantlent Nostri quantosque laborum fructus capiant ex variis Societatis ministeriis: saepe enim hi labores et hi fructus unum Deum testem habent,

praesertim si de ministeriis ordinariis sermo sit, laboriosioribus utilioribusque iis quidem, sed quae propter ipsum suum quotidianum usum vix aptum praebent narrandi argumentum, eo magis quod non semper neque ex omnibus Provinciis de his ad nos refertur. Ceterum, tantus est ubique, Deo favente, Nostrorum zelus, ut freno potius quam stimulo plerumque Patri Nostro utendum sit, ne Societatis operarii laborum pondere opprimantur; tantique fit eorum opera, ut, non obstantibus impugnationibus et calumniis nuper commemoratis, et magnas experiamur difficultates quandocumque vel minima Residentia supprimenda est, et novis semper novarum domorum petitionibus fere quotidie urgeamur.

Ut aliquid attingam de iis ministeriis, quae sive ob eorum momentum sive ob insigniores fructus sive etiam ob rei novitatem extra ordinem exire videntur, missiones populares per urbes et pagos secundum antiquas Societatis traditiones etiam nunc in plerisque regionibus, ut in Hispania, Gallia, Italia, Polonia, Hibernia etc., frequenter habentur. Alicubi, ut de Columbia alias diximus (1), hae missiones ad vera Exercitia Spiritualia propius accedunt. Alicubi ad modum catechismi traduntur: latissimam paroeciam Neuvic, verbi gratia, in Galliae districtu Corrèze, quae 15 kilometra longitudinis habet et 12 latitudinis, P. Ioannes Vichy (Prov. Lugd.) per quatuor hebdomadas peragravit, parva Curionis automobili usus. Casas etiam remotissimas attingebat et ruricolas colligens imaginibus luce proiectis catechismum explicabat populumque, tam novis rebus mire attractum, edocebat; dein catechistae voluntarii ibidem relicti cetera perficiebant. Aliquando, curru semel atque iterum subverso eoque in fossa relicto, pedibus, media nocte, domus paroecialis Patri repetenda fuit.

Missionibus popularibus accenseri potest novum quid Barcinone (Barcelona, Prov. Arag.) hoc anno pertemptatum: per tres continuos dies, statis intervallis, Exercitia Spiritualia *radiophonio* a Nostris tradebantur: non minus decem millia putantur qui vel fere nolentes aeternas veritates audierint.

In urbe Segovia (Prov. Castell.), tempore Quadragesimae tota fere civitas Exercitiis Spiritualibus a Nostris exculta est. Nam ea seorsim tradita sunt militibus (300 numero), viris (350), mulieribus (400), iuvenibus (100), virginibus (400), ancillis (300), carceribus detentis etc. — Fit etiam in ea urbe pro solis viris secessus mens-

(1) V. supra, pag. 69.

truus in sacello Antistitis: supra centum ac viginti adesse solent summa cum Episcopi laetitia. Patres his et aliis ministeriis ferventer intenti benignissimam Dei Providentiam experiuntur. Quod autem pluris est, magnus fit in templum nostrum populi concursus; crescitque in dies summorum infimorumque benevolentia et vitae christianae emolumentum.

Mensibus aprili et maio huius anni 1928 Eminentissimus Hispaniae Primas et Archiepiscopus Toletanus, Cardinalis Petrus Segura y Saenz, noster olim in Pontificia Universitate Comillensi (Prov. Legion.) alumnus et primus qui ex illo Athenaeo cum ab episcopalem dignitatem tum ad sacram purpuram evectus sit, quo est animarum zelo fragrans, hispanos operarios in Gallia meridionali laborantes pastorali visitatione recreare statuens, inter viginti septem apostolicos suos praecursores, qui animos ad divinam gratiam recipiendam pararent, non minus quatuordecim e Nostris ex variis Hispaniae Provinciis selegit; praeterea P. Ioannes Soler de Morell (Prov. Arag.), operi " Fomento Social „ addictus, mandatum accepit multiplicem hanc missionem distribuendi totamque visitationem ordinandi.

Multas easque graves difficultates ubique experti sunt hi evangelici praecones, praesentim ob miserrimam rerum sacrarum ignorantiam et incuriam, in quam homines illi, faciles turbulentorum nebulonum victimae, prolapsi erant; alicubi etiam aperta communistarum vis conciones et pompas impedire quin et Purpurato Patri insultare conabatur; sed omnia diabolica tela retudit impavidus Eminentissimi Cardinalis et Missionariorum zelus, qui si non semper uberrimos, uberes semper tamen tulit fructus. Lugdunum usque Eminentissimus Praesul perrexit ibique in colle Fourvière ad pedes Beatae Virginis, quo ingens hispanorum colonorum turma e finitimis quoque pagis eum comitata erat, apostolico suo ministerio finem imposuit. — Lugduno Paraedium (Paray–le–Monial) ad sanctuarium SS. Cordis peregrinatus, Domo nostra tertiae probationis (Prov. Lugd.) recipi voluit ibique sepulcrum Ven. P. Claudii de la Colombière pie est veneratus.

Popularibus missionibus vix non similem dixeris Societatem illam oratorum laicorum ante aliquot annos in Anglia ortam ad doctrinam catholicam per plateas et compita viarum acatholicos docendam, quae *Catholic Evidence Guild* anglice appellatur: originem duxit e nostro Collegio Saxosilvano (Stonyhurst, Prov. Angl.) et iam per omnes Angliae regiones sese extendit, ita ut vix habeatur

urbs oppidumve alicuius momenti ubi non vigeat. Londini praesertim quovis die festo variis maximae illius urbis locis quidam ex his apostolis laicis ad frequentes popularium turbas verba faciunt, verae religionis doctrinam summo studio exponunt, difficultates ab auditoribus propositas solvunt, plagulasque accurate paratas gratis distribuunt. Vacationum autem tempore, nostrorum Collegiorum alumni, qui post peculiare examen ad id sint probati, sive in villis, sive in montibus sive in littore maris, eundem apostolicum laborem laeti nec sine fructu suscipiunt. Argumenta potissimum sunt quae ad veram Christi Ecclesiam spectent, ut notae quibus Christus eam insignivit, primatus aliaque privilegia Romano Pontifici concessa, Sacramenta, Indulgentiae, similia.

In Canada, Viatores mercatorii (*Voyageurs de commerce*), de quibus alias in *Memorabilibus* dictum est (1), non e suggestu quidem verba faciunt, sed utilissimum apostolatus genus exercent. In strenuam enim consociationem, Patribus Societatis ducibus, iam diu coadunati, inter alia bona opera, blasphemiam insectari indefessa cum alacritate perseverant et devotionem erga SS. Cor Iesu impensius in dies promovere student. Ubique figendas curant pulcherrimas SS. Cordis Iesu imagines, supplicem hanc ferentes sententiam : " Nolite in me blasphemare ! „ Chartulae edicentes legem in blasphematores, passim deponuntur, in ferreis stationibus, in navibus, in cauponis, in officinis, in omne genus vehiculis, etc. In urbe Sancti Hyacinthi, effigies SS. Cordis, tabulis aereis impressae, etiam per domos distribuuntur ut supra ianuam collocentur. Marianopoli (Montréal, Prov. Can. Inf.) praeterea Christi imago in codicibus librisque scholarum ad vicies centena millia expressa est, quo vividius continentiusque puerorum oculis subiiciatur. Quin etiam, formae ipsae aereae eiusdem imaginis donantur typographis editoribus ut eam, ubi vacuum inveniatur spatium, inter periodicorum aliorumque libellorum paginas imprimant.

Exercitia Spiritualia.

4. — Hoc divinae gloriae studium, hunc animarum salvandarum zelum vere catholicum apostoli hi laici hauserunt atque hauriunt ex Spiritualibus Exercitiis, quibus identidem vacant. Nam haec sunt efficacissima perfectionis instrumenta, quibus ubique ad animas divini amoris igne inflammandas utuntur Nostri. Plurimae autem

(1) *Memorab. S. I.*, vol. I, 1920, pp. 314-319.

Deo sint grates, quod hoc Exercitiorum opus nova in dies incrementa capit.

Haud semel commemoravi Exercitia per mensem producta: haec a quinque iam annis semel atque etiam bis in anno traduntur in Domo Exercitiorum Feldkirchensi (Prov. Germ. Sup.): in Provincia item Taurinensi semel saltem in anno a multo iam tempore fiunt, ita ut ducenti eoque amplius numerentur Sacerdotes qui Exercitiorum mensem ibi peregerint, iique peculiari inter se foedere consociantur. In Statione Dominae Nostrae in pago Ay (Prov. Lugd.) quatuordecim Sacerdotes etiam hoc anno per mensem integrum, sub P. Alberto Valensin, Exercitiis operam dederunt, tanto cum fervore, ut quidam ex iis, etsi Canonici, non erubuerint in abluenda coenae supellectile iungere se iuvenibus, qui Sacerdotibus assistebant serviebantque. Hi autem iuvenes selecta erat atque operi plane devota et voluntaria manus Exploratorum, quos vocant, catholicorum, (*Scouts*). — Fratribus a Scholis Christianis et Fratribus Maristis, quibus integra Exercitia eorum legibus praescribuntur, saepe a Nostris traduntur: id praestiterunt, verbi gratia, pro Maristis superiore anno 1927 P. Modestus Ardáiz (Prov. Columb.) in Columbia, hoc anno 1928 P. Alfredus Arnaud (Prov. Lugdun.) in Domo Exercitiorum Taurinensi; item pro Fratribus a Scholis Christianis in Indiis superiore anno P. Leopoldus Bernard (Prov. Belg.) tertiae probationis Ranchensis (Miss. Calcutten.) tunc Instructor, hoc anno in Hispania P. Leopoldus Barba (Prov. Baet.) in Domo Exercitiorum Xerezana (Jerez de la Frontera). — Non menstruum quidem, consueto tamen longiorem secessum decem dierum peregerunt 51 Sacerdotes in Domo Fagetana (Prov. Belg.) sub P. Arthuro Vermeersch: quod quidem etiam alias in Belgio identidem fieri consuevit; nam scimus v. gr. Eminentissimum Card. Iosephum Ernestum Van Roey, hodiernum Mechliniensium Archiepiscopum, huiusmodi secessui iam bis apud nos olim operam dedisse, indeque forte hausit tantam de Exercitiis S. P. N. Ignatii aestimationem, quantam passim sive privatim sive publice ostendit.

Infinitum autem propemodum sit, si de Exercitiorum cursibus ordinariis agere velim: ut unum alterumve dicam, superiore anno 1927 in Provincia Castellana 1557 Sacerdotes externi Exercitia a Nostris audierunt; in una Domo Triuggiensi (Prov. Ven.) 2606 viri laici triduanis secessibus eodem anno 1927 interfuerunt, itemque in Domo Bassanensi haud multos ante annos constituta in eadem Veneta Provincia; et primis novem huius anni 1928 mensibus in iis-

dem duabus hisce Domibus iam 2200 viri laici eadem ratione exculti sunt. Plerique ex his sunt " Actionis Catholicae „ socii, qui in Exercitiis ad apostolatum christianum secundum Summi Pontificis monita et optata exercendum magnopere inflammantur. In Domo Bassanensi vero peculiares secessus hoc anno haberi coepti sunt iuvenibus militiam mox profecturis, additis quoque aptis adhortationibus ad spiritualia vitae militaris pericula praecavenda. In Domo Exercitiorum Iacobopolitana (Prov. Argent.–Chil.) Exercitia clausa et sua integra forma 158 Magistris fiscalibus et secundariis anno 1927 tradita sunt; Magistrae quoque 80 eodem tempore apud Religiosas excolebantur. In Domo autem S. Iosephi eiusdem Provinciae 50 caeci magno cum solatio et fructu, magnaque cum pietate Exercitiis vacarunt.

Novum forte secessus genus felicissimo exitu hoc ipso mense decembri 1928 tentatum est in Domo Zugligetensi, recens prope Budapestinum (Prov. Hung.) inchoata; triginta unus enim ex Legiferi Coetus Deputatis tres dies, duce P. Adalberto Bangha, piis commentationibus vacarunt, praeeunte ipso Deputatorum Aulae Praeside, qui postremo die Patri Bangha ad altare Sacrum facienti inservire voluit: post Missam vero, singulis singulos cereos accensos manu tenentibus, una simul SS. Cordi Iesu sese devoverunt.

Commemorandus demum est primus secessus Militum Pontificiorum Canadensium (*Zouaves*) mense aprili 1927 in Domo Exercitiorum Appulsuplufiana (Abord-à-Plouffe, Prov. Can. Inf.) seu Villa Sancti Martini habitus. Huic consociationi, ut alias narravi (1), praeter veros veteranos Milites Pontificios, complures iuvenes nomen dant qui eadem erga Romanum Pontificem devotione ac fidelitate imbuti, gloriosam veteranorum phalangem in dies decrescentem novis copiis perpetuare student. Itaque viginti sex ex hisce Pontificiis Militibus cum nonnullis centurionibus et ducibus, Villam Sancti Martini tunc adierunt. Exercitia iis tradidit P. Leo Sigouin (Prov. Can. Inf.), unus ex eorum capellanis. Optimum secessum excepit, die tertio postmeridiem, aliorum militum convocatio: septuaginta quinque praesto fuere, quos inter duo Pii IX veterani, ambo Ordinis S. Gregorii equites. Cum vero ad septum Villae Sancti Martini citato gradu pervenissent, protinus, lituis sonantibus, ecce obvii incedunt nostri viginti sex exercitantes, qui, splendido ordine instructo, commilitones domum deducunt. In collatione, quae subsecuta

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1925, pp. 304 sq.

est, multa et pulchra dicta sunt de caritate inter se fovenda, de ipso praeterea Pontificiorum Militum opere, cui ut spiritus supernaturalis altior infundatur annua Exercitia imprimis commendanda essent.

Quanti autem fiant Exercitia Spiritualia S. P. N. Ignatii ab Apostolica Sede, nuperrime denuo compertum est ex Responso a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum die 2 maii 1928 dato, quo dum Exercitia Spiritualia ante sacram ordinationem praescripta pressius urgentur, simul generatim Exercitiorum usus " quorum auctor exstat S. Ignatius de Loyola, Societatis Iesu Fundator „ etiam atque etiam vehementer commendatur (1).

Congregationes Marianae.

5. Ad Congregationes Marianas quod attinet non multa mihi dicenda sunt, cum " Acies Ordinata „ statis temporibus vobis complura de iis fideliter narret. Quaedam tamen ea sunt quae in communibus quoque Societatis nuntiis peculiarem sibi vindicent locum.

Mense februario huius anni 1928 Regia Congregatio Mariana Militaris Toletana binos egit dies maxime festos: 12 et 27. Die 12 novus Hispaniae Primas, Emus. Card. Petrus Segura y Saenz, eam invisit et sacram Communionem in templo nostrae Residentiae (Prov. Tolet.) tercentis sive huius sive aliarum Congregationum sodalibus distribuit, dum Excellentissimus Nuntius Apostolicus Fridericus Tedeschini et Episcopus Auxiliaris Toletanus innumerabiles item Communiones populo sacram mensam affluenti ministrant. Die vero 27 eiusdem februarii mensis ipse Hispaniarum Rex Alphonsus XIII, Cardinali Primate eum comitante, aulam suae Congregationis (nam et ipse sodalis est) adivit ibique sollemniter est salutatus. Antequam discederet pulcherrimam contionem habuit, quo futuros militiae duces ad fidem et pietatem integras servandas vehementer est hortatus.

Matriti tempore Quadragesimae, quem saepius nominavi, Eminentissimus Cardinalis Segura, postquam in templo Domus Professae 1.200 viros Angelorum Pane refecit, complures ex iis in Congregationem Marianam, tradito nomismate, cooptavit, inter quos Iosephum Antonium Primo de Rivera, Summi Consilii Praesidis filium.

Retulit Praepositus Provinciae Beaticae festum B. M. V. Im-

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XX, 1928, pp. 359-362.

maculatae anni 1927 in omnibus suae Provinciae domibus a Sodalitatibus Marianis peculiari quodam splendore celebratum esse. Hispali (Sevilla) potissimum memoranda fuit sollemnitas die 11 decembris peracta, auspice quidem florentissima Immaculatae Conceptionis et S. Aloisii Congregatione, sed aliis quoque urbis Sodalitatibus adscitis: ad Missae offertorium singuli Sodales, praeeunte Celsissimo Infante D. Carolo Borbonio, tactis sacris Evangeliis, triplex votum iureiurando firmatum, quod ab aliquot annis nuncupare solent, renovarunt perpetuo strenueque propugnandi Immaculatam Deiparae Virginis Conceptionem et eius etiam corpore in caelum Assumptionem et universalem in gratiis dispensandis Mediationem.

Antequam ex Hispania discedamus, liceat breviter commemorare Marianas Sodalitates, quas in urbe Sancti Sebastiani (Prov. Castell.) Nostri moderantur. Insignis est in primis Congregatio Mariana " Equitum S. Ignatii „ quae quadrigentos fere socios habet., probatissimos hos omnes atque civitatis proceres in eaque viros potentes. Congregationis domicilium est pulcherrimum et mirifice ornatum, novisque aulis anno 1927 auctum, ita ut nihil desit eorum quae ad Congregationem pertinent. Sectio etiam iuvenibus studentibus nuper inchoata est, iamque eius bibliotheca, ludi, academiae, conferentiae a selecta iuventute frequentantur et optimi fructus prospiciuntur. Nec minus floret in eadem urbe Congregatio et Syndicatus, qui dicitur, feminarum opificum a Nazareth. Hic 2000 iuvencularum recenset, quae in sua domo sociali, pietate, doctrina et omni laborum arte imbuuntur: nam scholas vespertinas habent, quas 1.400 frequentant: oeconomiam etiam discunt, religionem vero a Patre Directore. Religionis et pietatis exercitia in templo nostro splendide et ad exemplum instituunt, et sua modestia passim notantur per urbem, non sine magna civitatis aedificatione.

Essendium (Essen) Mariani Sodales ex tota Germania mense septembri convenerunt, curante P. Antonio Schmitt (Prov. Germ. Inf.), qui pulcherrimam epistolam nomine Summi Pontificis a Cardinali Secretario Status datam accepit, in *Actis Romanis* mox vulgandam (1). Similem Marianum Congressum, non sine Nostrorum opera, Budapestini habuerunt mense augusto omnes Sodalitates Hungariae, quae ad quadringentas numerantur.

In Gallia, die 11 februarii 1928, Congregatio Mariana nostri Collegii Massiliensis (Prov. Lugdun.) quinquagesimum ab ortu an-

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 53-55.

num sollemniter concelebravit. Illud memorabile de hac sodalitate est praedicandum ac imitandum, quod, his quinquaginta annis, 46 Sacerdotes ad clerum seecularem et 41 ad clerum regularem, e quibus 31 ad Societatem, misit.

Sodales Mariani Insulenses (Lille, Prov. Camp.) iam inde ab anno 1927 in silva quadam *de la Neuville* nuncupata, haud longe ab urbe, suis ipsi manibus magna cum alacritate sacellum Beatissimae Virgini dicandum exstruere coeperunt: tempore vocationum autumnalium superioris anni solum ad aedificium excipiendum aptarunt; feriis vero paschalibus huius anni 1928 muros extulerunt; ne autem ab opere retardarentur, sub tentoriis ipso in loco noctes transigebant. Die 20 maii in novo sacello, rite benedicto, prima sacra caeremonia peragi potuit.

Montevidenti (Montevideo) in Uruquariae metropoli (Prov. Argent.-Chil.) Congregatio Mariana Maior vigesimum quintum annum hac unica spectata ratione coluit, Exercitia pro viris impense promovendo. Per publicas ephemerides consilium suum in populum sparsit: in templis omnibus in aulis publicis, in urbis institutis chartas murales affixit. Hae autem aliaeque industriae ingentem multitudinem in templum nostrum pertraxerunt, praesertim ultimo Exercitiorum die, quo iam plus quam duo millia virorum vespere habebantur; et ipso Congregationis die natali (26 iunii 1927) P. Iosephus Antonius Laburu (Prov. Castell.) ad tria millia verba fecit.

Calaritanae Congregationi virorum Societas debet quod in illa Sardiniae urbe principe permanere potuit. Nam cum alumni archiepiscopalis Seminarii maioris, cui aliquot Patres (Prov. Taurin.) iam diu addicti erant, in novum Pontificium Seminarium centrale Kularitanum, Societati item commissum, migrassent, ideoque Calaritani Seminarii aedes Nostris relinquendae essent, sodales illius Congregationis omni ope contenderunt ut Societatis Residentia Calari constitueretur, domicilium iis, saltem donec aptius inveniretur, comparantibus et antiqua nostra Sancti Michaelis ecclesia ut nobis restitueretur impetrantibus. Quod quidem die 1 iulii huius anni feliciter factum est.

Dublini in Hibernia peculiarem instituerunt Nostri Marianam Sodalitatem pro metropolitanis (quos vocant) publici ordinis custodibus, e quibus ducenti quinquaginta, duce P. Gulielmo Gleeson (Prov. Hibern.), proximo mense octobri Romam venerunt et pulchra suae pietatis praebuerunt exempla.

Liceat denique Traiectensem ad Mosam (Maastricht, Prov.

Neerl.) Immaculatae Conceptionis Congregationem commemorare ob singularem sane sollemnitatem nuper in ea celebratam: die 8 decembris 1928 optimus quidam senex et fidelissimus sodalis, Dnus. Iosephus Croute, septuagesimum suae aggregationis anniversarium laetus agens, non modo illius Congregationis, cuius praecipuis muneribus plures annos functus est et assiduus semper exstitit frequentator, sed et Patris Nostri atque etiam Summi Pontificis gratulationes accepit.

Ceterum, ut dixi, nostrum non est singulas Marianas Congregationes, utut florentissimas et actuosissimas, hic singillatim persequi: ad tria fere millia numerantur Sodalitates, quae Nostris utuntur Moderatoribus cum animarum praesertim iuniorum ingenti fructu.

Apostolatus Orationis.

6. — Nova in dies ubique suscipiunt incrementa Apostolatus Orationis et, adnexa ei Eucharistica puerorum " Cruciata „ quae dicitur. Undique ad Moderatorem generalem laeti perferuntur nuntii de innumerabilibus familiis SS. Cordi consecratis, de commendationibus et benedictionibus Episcoporum, de spirituali animarum bono et multiplici orationis fructu per nostrum hoc opus collucto. Die 6 iulii Beatissimo Patri liber ingens et affabre compactus oblatus est, quo " thesaurus spiritualis pro Papa „ continebatur: bona opera pro Summo Pontifice ab Apostolatus Orationis sociis anno 1927 peracta ad 731.657.485 numerabantur, pueris vero Cruciatae Eucharisticae ad 93.451.014.

Cum in Sinis constitutus sit Secretarius nationalis P. Stephanus Zi (Prov. Franc.), omnesque reipublicae Episcopi hac de re certiores sint facti, incredibile dictu est quanto cum gaudio hic nuntius exceptus sit: omnes fere Praesules rescripserunt se novum Secretarium nationalem totis viribus adiuturos esse, ut opus tam salutare etiam atque etiam dilataretur et foveretur.

Eminentissimus Cardinalis Henricus Binet, Archiepiscopus Bisuntinus (Besançon), superiore mense iunio, pulcherrimas ad clerum populumque suum dedit litteras, quibus Apostolatus Orationis magnis extollitur laudibus et vehementer commendatur. Idem praestiterunt in Germania Archiepiscopus Friburgensis Brisgoviae, Episcopus Limburgensis et Episcopus Auxiliaris Coloniensis.

Die 19 iunii hic Romae novum centrum in templo SS. Cosmae et Damiani erectum est, eique iam nunc mille socii nomen dederunt: hoc autem peculiari memoria dignum illud efficit quod omnes

socii sunt infirmarii in variis Urbis nosocomiis ministrantes, qui a divino Corde veri Samaritani, omnem languorem et omnem infirmitatem sanantis, omnimodam christianae caritatis perfectionem addiscent. Caeremoniae inaugurationis aderat, praeter Patrem Nostrum, Eminentissimus Cardinalis Bonaventura Cerretti, qui et opportuna novis sodalibus verba fecit.

Occasione sumpta ab Encyclicis Litteris " Miserentissimus Redemptor „ a Summo Pontifice die 8 maii datae, quae totae sunt de reparatione SS. Cordi Iesu exhibenda, P. Gulielmus Kea (Prov. Neerl.), tunc vices gerens P. Iosephi Boubée ad valetudinem recuperandam in sua Provincia Tolosana versantis et non ita post eidem Patri Boubée ob debilitatas vires a munere Directoris generalis delegati sublevando suffectus, omnes Directores dioecesanos et locales vehementer est hortatus ut reparationis spiritum, Apostolatui Orationis apprime consentaneum et proprium, in omnibus sodalibus impensius fovendum curarent.

Nec denique silendum novum quid in Hispaniae et Hollandia pertentari coeptum: Matriti namque (Prov. Tolet.) et in pago Huizen prope Amstelodamum (Amsterdam, Prov. Neerl.) singulis mensibus, curantibus Nostris, radiophonio nuntiatur et breviter explicantur intentiones cum generalis tum missionaria illi mensi assignatae, idque quatuor variis linguis, quod huc usque optime successit.

Congressus, festa, praemia.

7. — Quamquam, ut pluries notavi, vix fieri potest ut omnia vel pulcherrima ac scitu dignissima in communibus hisce Societatis nuntiis locum inveniant (quod quidem de Congressibus aliisque conventibus autumnali praesertim tempore frequentissimis, itemque de festis sollemnioribus alicubi celebratis, peculiari ratione valet), quaedam tamen ex his rebus, sive ob maius earum momentum, sive ob singularia earum adiuncta praeteriri omnino non possunt.

Mense novembri 1927, a die 22 ad 24, quinquaginta e Nostris ex variis Galliae Provinciis et undetriginta Sacerdotes Directores) operum e totidem Dioecesibus Domum Clamart (Prov. Franc. amice convenerunt ad " Actionem Popularem „ intimius cognoscendam, impensiusque fovendam: qui quidem conventus, praeter alios valde pretiosos fructus, hunc quoque pretiosissimum habuit, quod Nostris maiorem cum clero saeculari contactum ineundi occasionem utilissimam praebuit.

Mense septembri huius anni 1928, ut omnes noverunt, magnus

internationalis Congressus Eucharisticus Sydneyi in Australia habitus est: huic parando non spernendam sane praebuerunt operam Nostri Australianae Missioni addicti (Prov. Hibern.), qui etiam Eminentissimum Cardinalem Legatum Bonaventuram Cerretti honorifice admodum exceperunt, sive cum praecipuas Sydneyenses nostras domos invisit, sive potissimum cum ad novum Seminarium Societati commissum nomine Summi Pontificis inaugurandum Melburnium se contulit. Ad ipsum autem congressum Eucharisticum omnes Angliae Episcopi, ab Australiano itinere suscipiendo prohibiti, suo ipsi nomine ex officio miserunt P. Cyrillum Martindale (Prov. Angl.), qui ad hoc munus felicius adimplendum Apostolica Summi Pontificis benedictione, peculiaribus acceptis litteris (1), est roboratus. De italica autem eiusdem Congressus sectione optime meruit in eaque multum adlaboravit P. Vincentius De Francesco (Prov. Neap.), quem, in Australia iam diu versantem, ad id officii, rogante Coetu Nationali Italico Eucharisticorum Congressuum, Pater Noster designaverat.

In magna internationali preli et culturae Expositione Coloniae Agrippinae (Köln) in Germania mensibus maio-octobri habita, haud exiguam, fatentibus omnibus, partem habuit Societas, maxime quod ad Missiones et Congregationes Marianas pertinet, curantibus potissimum P. Bernardo Arens aliisque e Residentia Coloniensi nonnullis Patribus (Prov. Germ. Inf.).

Congressui internationali catechistico Monachii in Bavaria mense augusto habito, praeter quosdam alios Nostros, ut P. Ioannem Bapt. Lindworsky (Prov. Germ. Inf.), qui et sermonem habuit, Roma aderat P. Marius Barbera (Prov. Sic.), Consultor Officii Cathechistici apud Sacram Congregationem Concilii idemque *Civilitatis Catholicae* Scriptor, qui ab illa Sacra Congregatione ad id muneris delectus et missus fuerat.

Inter varias " hebdomadas „ quas vocant, multum Nostri contulerunt, verbi gratia, hebdomadae sociali Actionis Catholicae Italicae, Mediolani mense septembri habitae; item hebdomadae Missionum sive Joliettae in Canada, sive Lovanii in Belgio, sive demum Bononiae in Italia; sed de singulis longum est digna verba facere et forte aptiorem infra locum invenient.

Mense iulio, e Nostris rei astronomicae peritis septem Leidae in Hollandia triennali internationalis Astronomicae Consociationis conventui aderant, inter quos ex America P. Eduardus C. Phil-

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 51.

lips, qui paulo post ex stellarum contemplatione ad suae Provinciae Marylandiae–Neo Eboracensis regimen est vocatus (1).

Ad festa autem quod attinet, peculiari quadam ratione in nostris domibus celebrata, quamquam singula recensere nequeo, praeterire tamen omnino non possum quin saltem nomine tenus commemorem septuagesimum quintum anniversarium Instituti Sancti Ignatii Antuerpiae (Prov. Belg.) mense octobri 1927, festa ter centenaria Collegii Maximi Cheriensis (Prov. Taur.) mense ianuario huius anni 1928, itemque festum saeculare Collegii Valsensis (Prov. Tolos.) ineunte mense iunio, cui adfuit Patris Nostri personam gerens R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens. Sed, cum haec propriam mereantur narrationem, satius duco nihil aliud addere et potius vos ad peculiares articulos remittere, quos in proximo fasciculo invenietis.

Idem dicendum de commemoratione quinquagenaria mortis P. Angeli Secchi (Prov. Rom.) in Universitate Gregoriana superiore mense martio, deque aliis festis, modeste quidem, ut Societatis filios decet, sed singulari laetitia peractis, ob varia quorundam e Nostris religiosae vitae iubilaea, quae extra consuetum ordinem egredi visa sunt: ut PP. Petri Tacchi Venturi et Benedicti Ojetti (Prov. Rom.), qui haud solitas Summi Pontificis gratulationes acceperunt (2); P. Francisci Xav. Tommasini (Prov. Missour.), qui eodem die octogesimum aetatis, sexagesimum Societatis, quinquagesimum sacerdotii annum celebravit; Fr. Coad. Thomae M. Mulkerins (Prov. Chicag.), seduli nostrae ecclesiae Sacrae Familiae Chicagiae a fere 48 annis aeditui, cui tota illa magna paroecia publice gratulari voluit; et potissimum P. Iosephi M. Cataldo, e Provincia Sicula sed Californiae Provinciae applicati, qui paulo post septuagesimum quintum vitae religiosae annum inter innumeras gratulationis significationes mense decembri 1927 celebratum, mediis in apostolicis laboribus 9 aprilis huius anni 1928 nonage-

(1) Reliqui sex erant: e Prov. Angliae PP. Eduardus O' Connor et Iacobus P. Rowland, e Prov. Aragoniae P. Aloisius Rodés, e Prov. Franciae P. Petrus Lejay, e Prov. Hungariae P. Theodorus Angehrn, e Prov. Neerlandica P. Ioannes Stein.

(2) De P. Petro Tacchi Venturi cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 57. — Patri Benedicto Ojetti hoc telegramma ex Vaticanis Aedibus die 12 novembris missum est: " Fausta ricorrenza cinquantesimo anniversario vita religiosa Paternità " Vostra, Augusto Pontefice lieto ricordare fecondo lavoro benemerito religioso " devoto interessi Chiesa, Le invia con felicitazioni e voti Apostolica Benedizione, " auspicio nuove grazie divine, pegno Paterna benevolenza. – Card. GASPARRI ".

nario maior pie decessit e vita; de quo eximio viro paulo fusius in proximo fasciculo agemus.

Berithi (Miss. Syriae) superiore mense novembri, dum sexagesimus Societatis annus P. Luciani Cattin et quinquagesimus P. Henrici Lammens (Prov. Lugd.) celebratur, gratulaturus adfuit ipse Libanitici Status Praeses, qui nomismate " a merito Libanensi „ nuncupato suis manibus Patrem Lammens decoravit. In Belgio, simili occasione, id est dum quinquagesimum Societatis annum agit, P. Franciscus De Cleyn (Prov. Belg.) " officialis „ quem vocant Ordinis Coronae regio-decreto die 19 aprilis nominatus est.

In concursu recens habito in Hispania inter auctores ad libros textus pro scholis conficiendos, P. Ferdinandus M. Palmés (Prov. Arag.) praemium tulit eiusque liber " Psycologia „ Gubernii cura editus, ut unicus textus scholasticus de ea philosophiae parte in omnibus sive publicis sive privatis scholis in universo Hispaniarum regno ex obligatione adhibendus praescribitur.

Praemio item nuper coronatus est in Gallia liber " Le Christ dans la Banlieue „ a P. Petro Lhande (Prov. Tolos.) superiore anno conscriptus. In Bolivia vero (Prov. Tolet.) per senatus consultum decretum est ut " R. P. Francisco Cerro S. I., per XXXXIV solidos " annos de educatione variis in muneribus benemerito, 10.000 *pesos* " praemio conferantur „. — Nobilius praemium historici sui operis de " Regesto Innocentii III „ tulit P. Gulielmus Peitz (Prov. Germ. Inf.), cui nomisma aureum, datis quoque laudatoriis litteris, Summus Pontifex misit (1). — Item P. Ioannes Hagen (Prov. Germ. Sup.), Speculae Vaticanae Moderator, qui magni operis catalogi astrographici conficiendi partem sibi commissam ingenti cum labore decem editis voluminibus nuper perfecit, a Summo Pontifice in conventu Academiae Scientiarum die 16 decembris in Hortis Vaticanis habito amplissimis verbis laudatus est.

In Lusitania P. Ioachimus Tavares (Prov. Lusit.), Director libelli periodici *Brotéria*, in supremam Nationalem Academiam Scientiarum Lusitaniae, primus de Societate, cooptatus est; idque haud dissimulata Patris condicione, quin et aperte declarata cum in sollemni receptione et Praeses Academiae de Societate pulchra dixerit et novus Academicus se totam suam scientiam Societati debere modeste fassus sit. — Paulo post in eandem Lusitanam Academiam adlectus est socius ad honorem etiam P. Georgius Schur-

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 50.

hammer (Prov. Germ. Sup.) ob librum historicum de insula Ceylon ex documentis in archivis Lusitaniae potissimum inventis non ita pridem ab eo editum. — P. Yvo de La Brière (Prov. Franc.) socius Instituti Iuris internationalis, quod Romae sedem habet, honoris causa creatus est.

Honori simul et oneri haud levi futurum sane est munus P. Henrico Pinard de la Boullaye (Prov. Camp.) demandatum habendi conferentias, quas dicunt, in metropolitano templo Parisiensi Notre-Dame quadragesimali tempore celebratissimas; tertius is est e Nostris ad illam insignem sacrae eloquentiae palaestram vocatis, eique ominamur ut PP. Xaverii de Ravignan et Iosephi Félix praeclara merita ingentesque fructus adaequet atque etiam superet ad maiorem Dei gloriam.

Denique, etsi Societatis non proprium sed ex sola obedientia susceptum, nostris annalibus est consignandum novum in renata Societate illudque perillustre officium Nuntii Apostolici uni e Nostris recens commissum: nam RR. DD. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.), Myrensis Archiepiscopus et Balticarum regionum olim Delegatus Apostolicus, dein, conventione inter Sanctam Sedem et Lettoniam inita, Internuntius primum creatus, nuper ad Nuntii Apostolici dignitatem promotus est.

De Missionibus.

8. — Ad Missiones autem ut veniamus, in primis commemoranda est nova Praefectura Apostolica de Magdalena in Columbiana Republica die festo S. Petri Claver erecta et Societati commissa (1), quam magno animi ardore illius Provinciae socii susceperunt.

Eodem die 9 septembris, Bruxellis in Belgio, primus Vicarius Apostolicus Kwangensis, RR. DD. Silvanus Van Hee S. I. (Prov. Belg.), ab E.mo Card. Ernesto Van Roey consecrationem episcopalem accepit: nam illa Missio Litteris Apostolicis die 28 martii datis in Vicariatum Apostolicum erecta erat (2).

Sed et alios e Nostris ad episcopalem dignitatem invitos assumptos recensere debeo. Nam, inita tandem conventione inter Sanctam Sedem et Lusitanam Rempublicam de patronatu Lusitano in Indiis, novus Bombayensis Archiepiscopus, RR. DD. Ioachimus Rodrigues Lima S. I. (Prov. Lusit.), Romae in nostro templo SS. Nominis Iesu die 2 decembris ab E.mo Card. Ianuario Granito

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 12-15.

(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 11. — V. etiam hic supra, pag. 196.

Pignatelli di Belmonte consecratus, die Nativitatis Domini suam sedem ingressus est. — Item in Indiis, die 30 iunii, nova sedes episcopalis Ranchensis primum suum Episcopum ingenti cum populi laetitia exceperat, RR. DD. Ludovicum Van Hoeck S. I. (Prov. Belg.), quem olim Missionarium illa regio habuerat, donec ad Dioecesim Patnensem regendam anno 1920 vocatus est.

Etiam Tananarivae in insula Madagascar novus Vicarius Apostolicus, RR. DD. Stephanus Fourcadier S. I. (Prov. Tolos.), Episcopus tit. Hipponensium Zarrhytorum *(Bizerte)*, magna admodum cum communi exsultatione die 5 octobris receptus est, ceteris in obsequio ei exhibendo praeeunte venerando eius decessore RR. DD. Henrico de Saune S. I. (Prov. Tolos.), Rhyzentino tit. Episcopo, qui pastoralem curam ob devexam aetatem deposuit, sed carissimas oves paterna dilectione semper prosequitur et inter eas manere exoptavit (1).

Neque mihi silendum est de reliquis tribus episcopalibus Nostrorum consecrationibus hoc anno habitis, quippe quas peculiaria prorsus adiuncta comitata sint. Die 5 augusti, Hiroshimae in Iaponia RR. DD. Iosephus Ross S. I. (Prov. Germ. Inf.) plenitudinem sacerdotii accepit: quae caeremonia, ut aiunt relatores, vere *catholica* dici potest, cum electum Germanum Iesuitam consecrarit Episcopus Iaponensis RR. DD. Ianuarius Hayasaka cum duobus Episcopis Gallis, adstantibus quoque praeter Nostros quibusdam Franciscanis ex Canada, Salesianis ex Italia, Dominicanis ex Hispania. — Item Zi-ka-wei in Sinis die festo S. Teresiae a Puero Iesu, 3 octobris, RR. DD. Henricus Lécroart S. I. (Prov. Camp.), Vicarius Apostolicus de Sienhsien, RR. DD. Augusto Haouisée S. I. (Prov. Franc.), Coadiutori Vicarii Apostolici Nankinensis designato, episcopalem dignitatem contulit, conconsecrantibus Episcopis altero Franciscano altero Lazarista, et, praeter RR. DD. Prosperum Paris S. I. (Prov. Franc.) cuius consecrabatur Coadiutor, alii quinque aderant Praesules, inter quos duo Sinenses et unus Russiacus. — In Mexico autem, qui hoc persecutionis tempore haud iniuria inter Missiones easque laboriosissimas numerari potest, consecrationem episcopalem tandem suscepit RR. DD. Ludovicus Benítez S. I. (Prov. Mexic.), quem Auxiliarem Tulancingensem nominatum esse sed nondum consecrari potuisse alias retuli (2). Igno-

(1) V. supra, pp. 195 sq.
(2) V. supra, pag. 10.

ramus tamen quandonam, ubinam, et quanam ratione in modernis illis catacumbis haec caeremonia habita sit.

De rebus Mexicanis vero et de augescente populorum pietate erga P. Michaelem Augustinum Pro, quem passim Martyrem praedicant, plura sive hic infra, sive in proximo *Memorabilium* fasciculo invenietis. Hoc unum liceat praeoccupare Summum Pontificem per Cardinalem Secretarium Status, datis litteris die 19 decembris ad P. Antonium Dragon (Prov. Can. Inf.), qui biographiam Patris Pro conscripserat et Sanctitati Suae obtulerat, aperte illum vocat " heroa Christi Regis „ eumque " in odium sui zeli pro divino Christo Rege „ necatum esse affirmat, additque Se benevolentia quadam commotione plena (" avec une bienveillance émue „) talem librum excepisse (1).

In Brasilia, ut alias dixi (2), et praesertim in urbe Sancti Pauli, emigrantium Iaponensium cura a Nostris suscepta uberrimos in dies fructus affert. Patri Guidoni Del Toro (Viceprov. Brasil. Centr.), qui etiam parvum Collegium a S. Francisco Xaverio nuncupatum pro neo-catholicis Iaponensibus pueris aperire potuit, auxiliares dati sunt P. Antonius Guasch (Prov. Arag.) et P. Aemilius Kircher (Prov. Germ. Inf.), uterque in Iaponia aliquamdiu versatus; itemque tres catechistae Iaponenses rite edocti in evangelizandis civibus suis Patres adiuvant. In ipsa Iaponia P. Hermannus Heuvers (Prov. Germ. Inf.) secretariatum regit ad emigrantes omni ratione iuvandos, quod opus plurimi fit apud omnes, praesertim apud insigniores Iaponiae catholicos, ut videre est in pulcherrima epistola hac de re ad Patrem Del Toro missam a praeclaro viro Stephano Yamamoto, quam in *Nuntiis de Missionibus* (3) legere poteritis.

In Sinis, P. Angelus M. Schiaffino (Miss. Hwaisen., Prov. Taurin.) mense novembri 1927 et P. Iosephus Hugon (Miss. Nankin., Prov. Franc.) mense februario 1928 binas circiter hebdomadas inter latrones captivi manserunt, sed paterna Superiorum industria effecit ut sospites dein liberique restituerentur.

Nunc autem, rebus publicis aliquantulum, ut videtur, compositis, ubique apostolicos labores paulo securius persequuntur Nostri; non desunt tamen identidem huc illuc quaedam molestiae

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 60.

(2) V. supra, pp. 40–42.

(3) *Nuntii de Missionibus*, vol. II, n. 5, mense ianuar. 1929, pp. 155 sq.

haud leves. — Hiberni vero nostri Missionarii, in urbe Hongkong ante duos tresve annos constituti, die 13 novembris novum Collegii iam in alienis aedibus inchoati aedificium exstruere coeperunt, primo lapide a RR. DD. Vicario Apostolico Henrico Valtorta, ex Instituto Mediolanensi pro Missionibus Exteris, sollemniter demisso. — Quin et novus operariorum manipulus recens Sinas petiit ex Californiae Provincia, quae futuram propriam Sinensem Missionem sibi comparandam generoso animo molitur.

Ceterum, Deo favente, magnus ubique in Nostris et in iuvenibus nobis commissis exardescit Missionum zelus, magno cum ipsorum quoque iuvenum spirituali emolumento. Ut unum afferam, Romae in nostro Collegio externorum, quod " Massimo „ audit, anno 1927 modeste admodum coepta erat consociatio quaedam inter alumnos ad studium Missionum fovendum, *Lega Missionaria Studenti* nuncupata: post annum similia centra etiam, inter publicarum scholarum alumnos instituta, in tota Italia complura habet et nova in dies incrementa suscipit. Ad diem Missionum mense octobri celebrandum magno cum ardore se paraverant hi sodales Collegii " Massimo „, pacifica grandiores inter et iuniores instituta aemulatione, quinam maiorem afferrent pecuniae summam ad Missiones sublevandas; singulis hebdomadae praecedentis diebus in atrio Collegii concertationis vices palam proferebantur, lineis ascendentibus vario colore in tabula productis. Iuniores pugiles suam lineam fere deiectam vix non lugentes conspiciebant, cum, ecce tibi, ultimo die tam strenue contenderunt, ut maiores natu longe superarint. — Nec praetereundum quod ingenuus puer e quodam nostro Collegio Provinciae Belgicae tentare ausus est: tanto ardore capiebatur erga Missiones ut, insciis omnibus, Summo Pontifici scripserit se in Missionem Kwangensem petere velle, sed a Societatis Superioribus ne in novitiatum quidem ob teneram aetatem receptum esse; rogare ergo ut Christi Vicarius ipsi permittat Societatem ingredi et in Missionem abire. Subrisit haec legens Beatissimus Pater eique benedicens rescribendum iussit, ut Superiorum dictis obediret utque optimum desiderium utique fovens opportunius tempus exspectaret.

De cultu et causis Sanctorum Societatis.

9. — Summi Pontificis anno iubilari, quem nuper inchoavimus et cuius festa ad medium usque annum 1930 producenda dicuntur, optima spes adest nonnullos Societatis alumnos Beatorum atque etiam Sanctorum honoribus auctum iri. Nullius quidem Causae acta

adhuc perfecta sunt, ideoque nullius omnino certam de felici exitu sententiam habere possumus, sed animo vix non praegustare licet laetitiam illius diei, quo " fidelem servum et perfectum amicum " SS. Cordis Iesu, Ven. P. Claudium de la Colombière (cuius et in Litteris Encyclicis " Miserentissimus Redemptor " honorifica mentio habetur) Beatorum nimbo redimitum cernemus. Item magnis itineribus ad supremos Sanctorum honores properat B. Robertus Bellarmino, quamquam non ante mensem maium anni 1930 novensilium Sanctorum canonizationes haberi poterunt.

Multa, ut nostis, eaque praeclara miracula patrare dicuntur Beati Martyres Canadenses (1), et ex iis duo iam selecta sunt et in processus apostolici tabulis rite consignata, sed, ob ingentem Causarum apud Sacram Rituum Congregationem agendarum numerum, singularis prorsus Divinae Bonitatis favor erit, si haec inter proximas canonizationes adnumeretur.

E gloriosa Venerabilium Angliae Martyrum phalange, quorum proxima beatificatio vix non certa haberi potest, Societas viginti quinque Patres et duos Fratres, duce Ven. P. Roberto Southwell, sibi vindicat, non computato Ven. P. Ioanne Ogilvie, qui cum unus sit e Scotia ortus et in Scotia martyrio coronatus, petentibus Scotiae Episcopis, ab aliis quidem seiunctus est, sed eodem proximo anno altaria et ipse conscensurus speratur.

A felici exitu, quem ominamur, adhuc longe abest, sed faustissimis initiis inchoata est Causa Servorum Dei Rochi González de Santa Cruz eiusque Sociorum, Martyrum Paraquariensium, quorum beatae mortis mense novembri huius anni 1928 memoria ter saecularis in tota Provincia Argentino-Chilensi et in regionibus finitimis, Episcopis praeeuntibus, celebrata est ut alias fusius referemus. Qua occasione, annuente Patre Nostro, ex lipsanotheca Postulatoris Generalis, ubi asservabatur, venerandum cor Patris González, visibiles vulnerum cicatrices praeseferens, a P. Thoma Travi (Prov. Argent. Chil.) in Argentinam translatum est.

Ad antiquos Societatis Sanctos quod attinet, ut quaedam inter multa dicam, Romae, die 8 iulii huius anni, in pariete externo nosocomii B. M. V. a Consolatione marmoreum mnemosynon sollemniter positum est in honorem S. Aloisii, qui aegrotis anno 1591 in eodem nosocomio inserviens et morbum contrahens heroicum vitae sacrificium, in Collegio Romano dein consummatum, ibidem inchoa-

(1) V. infra, pp. 236-242.

verat. — Usu autem aquae S. Francisci Xaverii iam mirae sanationes obtentae referuntur. Eidem Indiarum Apostolo novum obsequii genus in Hispania exhiberi coeptum est, eius effigie in chartulis nummariis vigintiquinque pesetarum valorem aequantibus impressa: quae quidem effigies, utut sacra, carissima profecto erit etiam Hebraeis impiisque!

Non omnibus vero, ut puto, notum erit, quod tamen ex ipsis Sanctae sororibus rescitum est, novam Missionum Patronam, S. Teresiam ab Infante Iesu, cui ex Sanctae Sedis decreto aequales deinceps liturgici honores ac S. Francisco Xaverio in omnibus Missionibus tribuendi sunt, hoc idem Missionum patrocinium ab ipso Indiarum Apostolo, paene dixerim, precibus impetrasse: nam, ut in *Annalibus Lexoviensibus* (1) legimus, cum pia Virgo se proxime morituram sentiret, novendiales preces " a gratia „ nuncupatas ad S. Franciscum Xaverium obtulit " ut bonum in terram profundere posset post mortem „. Quod quidem quam copiose, Indiarum Apostolo intercedente, obtinuerit, hodierna huius Sanctae gloria demonstrat.

Nuntii varii.

10. — De nostris Scriptoribus, secundum proximae Congregationis Generalis vota edendis Pater Noster litteris, ad omnes Provinciarum Praepositos die 27 ianuari 1928 datis (2), agere coepit. Romae, ad ea discutienda et decernenda quae futurae editionis ordinem, formam, methodum respiciunt, peculiaris constitutus est quatuor peritorum Patrum coetus, in eumque cooptati sunt P. Arthurus Codina (Prov. Arag.), qui et Secretarium aget, P. Petrus Tacchi Venturi (Prov. Rom.), P. Franciscus Pelster (Prov. Germ. Inf.), P. Iosephus de Guibert (Prov. Tolos.) (3). A Sancti Doctoris Petri Canisii operibus initium fiet, curante in primis P. Friderico Streicher (Prov. Germ. Sup.), cuius hac de re epistola cum omnibus Provincialibus Pater Noster nuper communicavit (4). Cum autem ingens hic labor haud exiguam requirat pecuniae vim, ideoque omnium Provinciarum auxilium expostulatum sit, gratissimum sese exhibuit Pater Noster Columbianae Provinciae, quae statim huic postulationi respondit, 250 dollaria americana mittens: " quod

(1) *Les Annales de Ste. Therèse de Lisieux*, mars 1928, pag. 59.
(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 67 sq.
(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 111.
(4) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 102-104.

quidem, — reposuit Pater Noster die 16 maii gratias agens, — eo libentius peculiari laude prosequandum et in *Memorabilia* inserendum duxi, quod prima omnino sit pecunia in hunc finem accepta „. Hanc Provinciam proxime subsecuta est Missio de Sienhsien (Prov. Camp.), quae 500 dollaria sinensia donavit; tertiam vero laudem meruit Taurinensis Provincia; aliarum Provinciarum Missionumque dona forte in via sunt, sed nondum ad nos pervenerunt.

Die festo Assumptionis B. M. V. nova Chicagiensis Provincia, a Missouriana seiuncta, erecta est; et die Nativitatis Domini Viceprovincia Cechoslovaca ad veri nominis Provinciam, est evecta, Cechoslovachiae nuncupandam. Itaque nunc triginta septem Provincias habet Societas et tres Viceprovincias. Ineunte autem anno 1929 sociorum numerus ad 21.000 eoque amplius attinget: nam augmentum ad hunc diem nobis notum, quamquam adhuc decem Provinciarum catalogi desunt, ad 480 computatur.

Die 24 martii in Statione Octaiensi (Puerto Octay, Chile), meritis coram Deo et hominibus confertus, pie obiit P. Ioannes Ev. Mellwig, e Provincia Germaniae Inferioris sed Argentino-Chilensi iam diu applicatus, illius paroeciae administrator, divinae gloriae et salutis animarum insignis operarius, qui quadraginta sex annos in illis regionibus indefesse laboravit, tantamque sibi etiam apud homines promeruit aestimationem, ut Reverendissimus Ancudiensis Episcopus eius obitum omnibus suae dioeceseos clericis, datis laudatoriis litteris, nuntiaverit atque funebria in omnibus paroeciis peragenda praescripserit, asserens Patrem Mellwig clericorum suae dioeceseos speculum fore et peculiarem apud Deum intercessorem.

Sed iam, etsi alia multa menti et calamo occurrant digna profecto quae scribantur, ad finem epistolae tandem properandum mihi est, ne vestra, Reverendi Patres Fratresque carissimi, patientia abuti videar. Verum, ut unde exorsa est, ibidem terminetur narratio, novissima Summi Pontificis benevolentiae testimonia, quae serius obvenerunt quam ut supra cum aliis similibus recenserentur, summatim perstringam. Die 21 novembris, Praesentationi Beatae Mariae Virginis sacro, Beatissimus Pater novos Universitatis Gregorianae Scholasticos Nostros e variis Provinciis ad privatum colloquium excipiens, dum iis benedicit, universae Societati Se benedicere velle ait, " huic Societati, quam vere *Suam* Se nuncupare posse optime novisset, cum iam omnibus compertum esset quam singulari prorsus benevolentia eam Ipse prosequeretur. Sed hanc benevolentiam So-

cietatem sibi iure promereri tot tantisque pro Ecclesia Christi et pro Sancta Sede susceptis laboribus; siquidem Societas revera esset, secundum Sancti Fundatoris mentem atque spiritum, selectus ille militum manipulus, ad Ecclesiam defendendam et Christi Vicarii optata exsequenda semper paratissimus, qualem Ipse toties expertus est „. — Haec autem Beatissimi Patris elogia non equidem refero, ut de iis apud externos inani gloriola iactemur, quin potius nos decet ea prudenter in cordibus nostris recondere, sed ut inde ad meliora in dies charismata aemulanda incitemur, ne per nos Societas a tantae aestimationis altitudine vel minimum decidat.

Denique, cum Pater Noster, quem ob varia negotia die 17 decembris in Galliam et Hispaniam profectum esse nostis, mandasset P. Henrico Rosa ut Summo Pontifici suo nomine offerret exemplar libelli Exercitiorum Spiritualium latine et hispanice recens editi, idque Pater Rosa nuper praestaret, Sanctitas Sua donum benignissime recipiens: " Sed ego — ait — iam habeo hanc Exercitiorum editionem „; quam revera Patri ostendit, (nam editor ipse, D.nus Marietti, recta miserat). " Ceterum, — addidit Beatissimus Pater, – ita faciemus: hoc meum exemplar Patri Generali dono dabo et exemplar Patris Generalis mihi asservabo „. Quod et fecit, Sua Ipse manu hunc diem (31 dec. 1928) et nomen Augusti Donatoris scribens. — Parva haec quidem, sed non parvae benevolentiae signum!

Vestrum omnium me ss. SS. et precibus me enixe commendo.

Romae, die 31 decembris 1928.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

DE QUIBUSDAM CONTRA SOCIETATEM CALUMNIIS AD CIVILIA TRIBUNALIA DELATIS (1).

Antiqua et refricata est malitiosa sententia illa: " Finis media sancta facit „. A Machiavelli prognata, a celebri Pascal nobis imposita, non stetit in Gioberti qui, etsi haud aperte, caute tamen et indirecte nobis eam attribuit. Post annum 1848 hinc inde serpere et aliquando caput attollere, in Germania praesertim, non destitit. Ib P. Petrus Roh, insignis concionator, anno 1852, in urbe Francofurto ad Moenum, assertores dictae sententiae provocavit. Promisit videlicet mille florenos ei qui vel unum doctorem nostrum eam sententiam explicite profitentem, iudicibus designatis in Universitate Bonnensi, proferret. Nullus apparuit: nam ministellus quidam, nomine Mauer, qui circa annum 1867 probationem calumniae in se suscipere velle dictitavit, nihil aliud effecit quam libellum falsitatibus scatentem edere, quem Pater Roh facile refutavit. Non cessarunt propterea adversariorum incusationes et opuscula, quae, inde ab anno 1869, mirum in modum excreverunt. Anno autem 1903, sacerdos Dasbach, ad aulam politicam *Landtag* deputatus, propositionem Patris Roh iteravit, eius praemium duplicans (2000 florenorum). Tunc infelix ille Comes Paulus de Hoensbroech, a Societate et a religione etiam catholica apostata, imputati criminis probationem suscepit. Res igitur delata est ad tribunal civile Coloniense, mox ad Tribunal superius eiusdem urbis, quod die 30 martii 1905 probationem Comitis de Hoensbroech reiecit asserens: " In nullo textu iesuitico, ab Hoensbroech allato, enunciari generale principium, de quo instituta est quaestio „. Nostris diebus

(1) Cfr. *Civiltà Cattolica*, 1928, vol. II, pp. 122-134; *Nouvelles Religieuses*, 15 févr. 1928, pp. 73 sqq. — Ex Hungaria habuimus praeterea a Nostris relationem manuscriptam.

in Norvegia et in Hungaria rursus tractata est similis causa exitu nobis felicissimo: in Norvegia quidem de iesuitica morali in genere disceptatum est; in Hungaria vero de ipsissimo illo effato, de quo, ut diximus, iam anno 1905 Coloniae iudicialis sententia lata erat.

In Norvegia: De doctrina morali Iesuitarum.

De Norvegia autem ut primum loquamur, omnes norunt in ea natione ante tres annos postulatum esse ut lex qua Iesuitae proscribuntur, abrogaretur. Hinc nobis infensorum irae, quorum primipila fuit domina quaedam Martha Steinsvik nomine, mulier Isidis mysteriis initiata, quae non sibi sed viro suo, celebri politico, maiorem suam famam debet. Haec, ut rescivit periculum iesuiticum, prelo et comitiis omnem lapidem movit ad illud avertendum, *infami* Iesuitarum morali, tamquam validissimo argumento, in medium adducto.

Nostram causam sponte defendendam suscepit R. D. Caelestinus Riesterers, in urbe *Kristiansand* parochus, ac dominam Steinsvik mendacem ostendit. Haec illum diffamationis ad tribunal civile detulit. Hinc actioni integrae locus datus per plures dies: praeses et iudices constituti: utrique parti periti et testes concessi: res publici iuris facta, quaestio maxima: nam agebatur de morali Ecclesiae Catholicae quam Steinsvik cum morali iesuitica aequabat.

Die statuto, 18 ianuarii 1928, R. D. Riesterers ut pro se diceret invitatus, tribus horis verba faciens et comparans cum genuinis locos S. Alphonsi aliorumque a domina Steinsvik allegatos, eam facile mendacii in Ecclesiam et universum clerum catholicum evicit: eo magis quod scientiam linguae latinae praetenderet.

Pro domina Steinsvik peroravit Dr. Ihlen, protestans in facultate theologica Oslensi professor. Hic multa in medium attulit ad inquirendum utra esset superior moralis catholica an protestans; sed non erat his locus, at quaestio utrum domina Steinsvik vera dixerit necne.

Haec vagatio a quaestione multum profuit R. P. Lutz O. P. (de toto negotio is fuit relator accuratissimus in *Nouvelles Religieuses*, 15 februarii 1928), qui partes R. D. Riesterers ut peritus agebat. Igitur is, causa suis limitibus circumscripta, per duas horas mulierculae fallacias et calumnias redarguit.

Quibus omnibus discussis et perpensis, iudices, achatolici quidem sed aequi, die 19 ianuarii 1928, in urbe *Kristiansand*, unanimiter R. D. Riesterers omni criminatione absolverunt; dominam

vero Steinsvik, praeter causae cessionem, litis impensis subiecerunt. Appellationem revera ad superius tribunal interposuit mulier, quam " furiam theologicam „ vocant etiam quidam e suis, sed interea talis exitus catholicos sublevavit, adversarios deiecit, e quibus nonnulli moderatiores catholicis gratulati sunt.

Nuper autem (24 novembris) prodiit etiam sententia superioris tribunalis priorem sententiam confirmantis, contra quam femina illa iterum appellavit ad supremum tribunal, quod tandem die 31 decembris impensas quidem dominae Steinsvik impositas paulum minuit, sed pristinam sententiam quod ad rem attinet sollemniter confirmavit.

In Hungaria: De principio: " finis sanctificat media „.

In Hungaria vero eadem lis gravior et productior fuit. Praestat relationem de ea suis fere verbis referre, qualem accepimus.

Anno elapso 1927 in quadam sessione tribunalis Budapestini (Hungaria) Dr. Desiderius Polónyi, advocatus, vir nomine tenus catholicus, sed liberalis, interiecta sententia, contradicente iudice, affirmare ausus est, Iesuitarum esse principium: " Finis sanctificat media „.

Cum haec in ephemeridibus publicata essent, Rev. Dr. Iulius Czapik, intimus Summi Pontificis Cubicularius, adiutor Nostrorum in redigendo folio periodico " *Magiar Kultura* „ eum primum litteris ad mutandam sententiam trahere studuit, sed cum istae finem suum non essent assecutae, publicato eius responso sat impudenti in eodem folio periodico, eum ibidem calumniatorem Societatis Iesu appellavit. Quod Polónyi aegre ferens redactorem apud iudicem civilem denuntiavit tanquam sui calumniatorem.

Lis igitur exorta apud tribunal omnibus formis instituta est mense septembris 1927. Causa statis temporibus tractata, demum 16 februarii 1928 ad sententiam ventum est. Praeter accusatorem et reum eorumque advocatos, tamquam rerum periti adducti sunt in iudicium ex parte accusatoris Eugenius Zoványi, calvinista et professor historiae protestantismi in universitate Debreczen et Ludovicus Szimonidesz, pastor lutheranus; ex parte autem rei duo professores universitatis Budapestinensis, Rev. Dr. Aloisius Wolkenberg, professor theologiae moralis et Dr. Antonius Aldássy, laicus, professor historiae profanae, quos reus nominatim non petierat, sed a Rectore universitatis destinatos esse voluit.

Processus probationis obiectum erant non solum omnes iam

notae obiectiones, quas ex textibus casuistarum et nostrorum moralistarum afferre solent, sed etiam facta hoc principium in praxi et vita Societatis, secundum accusatorem, demonstrantia. Accusatio enim sic definiebatur: " Societem Iesu docuisse et exercuisse in praxi hoc principium: Finis sanctificat media etiam mala „.

In causae actione, reus et qui pro ipso, omnia argumenta et facta ab accusatore allata singillatim refutarunt.

Sententia iudicis sic se habet;

In nomine Status Hungarici!

Tribunal Dr. Iulium Czapik, reum criminis calumniae absolvit. Dr. Desiderio Polónyi imponit obligationem solvendi Dr. Iulio Czapik titulo expensarum advocatoriarum 1000 pengö (circ. 3000 lib.) et « Magiar Kultura » 100 p.

Declaratio:

Imprimis diiudicanda erat quaestio iuris, num enuntiando hoc principium: « Finis sanctificat media », alicui calumnia infligi possit. Ratione habita doctrinae a tribunali professae, responsum est: posse. Nam si sensus huius principii est, profitentem hoc principium ad finem bonum perficiendum etiam mediis illicitis uti posse, hoc in casu, de quo agitur, idem esset ac Societatem Iesu in mediis ad finem aptis non facere selectionem, utrum sint licita vel illicita, si eius commoda hoc exigunt. Huius autem principii enuntiatio tamquam principii a Iesuitis professi, Societati Iesu notam inurit pudendam, quemadmodum Societas in actuali eiusdem exsecutione iure meritoque despectu digna esset. Hoc autem, utrum aliquis de huius principii proprietate iesuitica — ut verbis Dris Desiderii Polónyi utamur — in propositione principali vel solum subordinata faciat mentionem, aut ut factum affirmet aut solum ut proverbium enuntiet, hoc in quaestione dirimenda est res indifferens. Cum igitur de huius principii charactere calumniatorio constet, inquisitionis iudiciariae est decidere, utrum principium: finis sanctificat media, sit revera principium Societatis Iesu, num istud profiteatur, doceat atque exerceat; nam si res ita se habet, sermo de calumnia Ordini inflicta fieri non potest.

Quaestio autem facti ex unanimi consensu partium dirimenda erat actuali demonstratione, quod factum est auditis tum utraque parte tum ab accusatore indictis et a reo petitis et a tribunali vocatis rerum peritis. Partes ipsae atque rerum periti solum in eo consenserunt, Societatem Iesu hoc principium nec indirecte statuisse, accusator autem cum suis asseclis ex operibus theologorum Societatis demonstrare conati sunt, Societatem hoc principium indirecte professam esse imo profiteri: « mediis illicitis vel disputatis sine ulla restrictione, uti licere ».

Tribunali iam deliberandum erat, cui parti assentire vellet. Sententia in favorem rei cessit. Ipse enim reus, Dr. Iulius Czapik eiusque rerum periti, Dr. Aloisius Wolkenberg et Dr. Antonius Aldássy in solutione quaestionum ab accusatore eiusque rerum peritis saepissime etiam de repente interiectarum atque improvisarum maximam peritiam manifestabant, talem qualem ratione habita eorum status et laborum scientificorum hucusque exantlatorum iure meritoque exspectare licuit. E contra apud accusatorem eiusque rerum peritos obiectiva et acceptabilis enuntiatio sententiae solum in minori gradu vel audiri omnino non potuit. Eugenii Zoványi, professoris historiae protestantismi, peritia in quaestionibus Ecclesiae Catholicae verisimillime non aequivalet peritiae Dr. Antonii Aldássy, cultoris historiae ecclesiasticae praeclari. Sed insuper in suis enuntiationibus tam acre praeiudicium manifestabat non solum erga Societatem Iesu, sed etiam erga Ecclesiam Catholicam, ut obiectivitas eius sententiae tamquam periti iam ex hoc capite in dubium vocari debet. Similiter Ludovicus Szmomdesz, sectae protestanticae simplex pastor, qui non est professor theologiae moralis, etsi per se hoc non obstaret, quominus in quaestionibus ad theologiam moralem pertinentibus scientificam sententiam dicere posset, tamen auctoritas eius contra auctoritatem prof. Wolkenberg, eximii cultoris theologiae moralis, tuto acceptari non potest.

Peritia accusatoris in quaestionibus ad litem pertinentibus inferior est peritiae Dr. Iulii Czapik. Ipse enim accusator confessus est, se solum tunc incepisse studere quaestionibus, cum lis fere iam ad finem perducta esset. Eius subiectivi et arcti conceptus in diiudicanda quaestione normativi esse non possunt eoque minus, quia saepius et in enuntiationibus semper praeiudicium erga Societatem Iesu manifestabat, qua de causa omnes eius affirmationes dignae erant, quibus non fideretur vel saltem cautae crisi subiicerentur.

At etiam aliae rationes permoverunt tribunal, ut reo faveret. Sunt autem sequentes. Accusatores ex operibus numero multorum millium exsistentibus a multis millibus scriptorum Iesuiticorum conscriptis solum nonnulla citarunt; quas citationes, quemadmodum hoc in ipsa sessione principali palam ideoque a quocumque facile investigabili modo reus eiusque rerum periti facili et clara refutatione demonstrarunt, eas esse aut divulsas aut mancas aut reticitas aut male versas aut omnino inutiliter allatas, nam materia allata ad rem nequaquam pertinebat. Sic e. g. defensio demonstravit accusantes, cum Iesuitis obedientiam « perinde ac cadaver », obiicerent, regulas Societatis prorsus ignorare. Insuper defensio declaravit, illud dictum de « nigro et albo » solum in rebus dogmaticis valere. Deinde clare patuit ex demonstratione, Iesuitas in quaestionibus liturgicis missionum non esse aggressos fundamenta fidei, sed solum voluisse, ut consuetudinibus populorum nationalibus ratio haberetur. Demonstravit praeterea defensio, probabilismum, casuisticam et mentalem reservationem non esse doctrinam moralem Iesuitarum propriam, item de vectigalium

clusione; ex diversis etiam gradibus in furando statutis nullum argumentum deduci posse in favorem principii de quo agitur. Demonstravit ulterius defensio, falsi iuramenti permissionem non esse mentem Iesuitarum, item haereticorum persecutionem, sententiam capitalem, tyrannicidium non esse proprietatem doctrinae iesuiticae, sicut nec esse lutheranam vel calvinianam, etsi ipsa accusatio agnoscebat suo tempore Lutherum et Calvinum talia docuisse. Similiter defensio clare proposuit adversariis textus decreti Clementis XIV omnino ignaris Ordinem non esse suppressum propter eius doctrinas Ecclesiae catholicae adversantes vel principia immoralia. Ostendit defensio et illud, Franciscum Rakóczy II solum propter res politicas Ordinem aversatum fuisse. Reus et eius periti clare ostendebant et illud, omnia illa quae Iesuitis obiiciuntur, iam ante eos statuta atque passim tradita fuisse, et etiam post Ordinem constitutum multos etiam laicos et aliarum confessionum eadem statuisse et docuisse. Attamen defensio non negavit, imo agnovit, fuisse aliquos ex Iesuitis, qui non caute processerunt, aliqua exaggerarunt, sed huic concessioni addiderunt, quod per se patet, errata aliquorum ex Iesuitis toti Ordini imputari non posse.

E contra accusatio infirma est etiam ideo, quia cum ex multis millibus scriptorum iesuiticorum operibus modo hinc modo illinc aliqua excerpat atque exempla afferat, non facit discrimen inter Iesuitas singulos et totum Ordinem, sed haec omnia exstendit ad Ordinem universum, quod est semper iniuriosum. Insuper accusatio infirma inventa est etiam in eo, quod non animadvertat, diversis temporibus in rebus moralibus quandam fluctuationem dari posse et exinde fieri, ut quod olim permissum putatum est, nunc reiiciendum sit. Neque attendit accusatio illud, quod etiam scriptores protestantes censuerint et censeant, principium, de quo agitur, Iesuitis adscribi non posse, atque affirment contrarium esse falsam accusationem et calumniam. Neque illud considerat accusatio Ecclesiam Catholicam et diversos status politicos Societatem tamquam religiosum Ordinem agnoscere, quod certe non facerent, si eiusdem doctrina et principia bonis moribus, paci sociali vel ordini publico adversaretur.

Omnino improbandus est et modus se gerendi ex parte accusationis, quod ea quae supra dicta sunt, non attenderit, insuper et argumenta deprompserit ex textibus divulsis, mancis, male versis, reticitis, non intellectis atque sine ullo scrupulo et sine ulla critica ea publica fecerit et non curaverit, num ea gravia, ad rem pertinentia, vera, refutabilia sint necne. Improbandum est hoc et ideo, quia occasionem dedit, ut palam et publice sine ullo fundamento gravia crimina Societati Iesu obiicerentur.

Quae cum ita sint, tribunal declarare potest, demonstrationem peractam clare ostendisse, facta Iesuitis imputata non esse vera, et principium, de quo agitur, non esse iesuiticum.

Inde autem sequitur, quod qui hoc principium Societati imputat, calumniatur.

Calumniator fuit igitur et accusator, quare iure meritoque reus eum calumniatorem appellare potuit eoque magis, nam secundum mentem tribunalis calumnia committitur ab aliquo etiam tunc, si facta vel dicta reapse patrata sive prolata tendentiose ita divulgare studet, ut hoc modo laedat.

Iamvero absque dubio constat, Dr. Desiderium Polónyi Ordinem Societatis Iesu laedere et molestare voluisse.

Absolutio rei igitur ideo subsecuta est, quia demonstratio veritatis successit in favorem rei.

Dr. E. Schadl
Praeses tribunalis.

Dr. E. Eigner
Dr. Piacsek
Iudices.

II.

DE OPERE " FOMENTO SOCIAL „ MATRITI CONSTITUTO.

Locuti iam sumus de " Actione populari „ Parisiis in Gallia constituta (1); simile quid de opere hispanico " *Fomento social* „ nunc occurrit dicendum.

Nam et huius operis institutum est Catholicae Actioni inservire prae primis in re sociali, cum dilucide Ecclesiae doctrinam exponendo, tum methodum viamque ad praxim indicando atque ad actionem veluti manuducendo. Ergo ex nomine ipso intendit " fovere actionum socialium studia, ipsamque actionem socialem catholicam fovere „ : omnino aptum et opportunum nomen.

Non est ergo proprie nova schola, sed doctrinae socialis catholicae magisterium ac ministerium et veluti (si licet) post-scholam :

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, pp. 430 seqq.

nec praeesse aut dominari cupit (quod offensiones creat), sed suggerere ac indicare viam et in formationem socialem, iuventutis praecipue, incumbere.

Itaque operibus socialibus rei catholice qua voce, qua scripto nata est inservire ac spiritum et vitam tribuere.

In hunc finem tria ministeria persequitur:

I. Ministerium preli (*Servicio de Prensa*). — Per hoc directoribus ac periodicorum scriptoribus, ad scribendum de actione sociali et religiosa materiam copiosam suppeditat, atque ita ipsos lectores attingit. Hinc patet quantae sit utilitatis et commodi: nam pericula et publici commentarii expensas vitat, expostulationes et simultates declinat, nuntios generales et politicos negligit; nuntios, normas et exempla tum iuris cum facti, sive in regione sive in extero, diligenter conquirit, quae de operibus et institutionibus hodiernis catholicis informent, quae intellectum illuminent et moveant voluntatem ad catholice agendum et sentiendum, iuxta temporum nostrorum necessitates et opportunitates.

Eiusmodi ministerium anno 1925 coepit, primo quasi clam et demisse, pauculas paginas singulis mensibus vulgando: nunc iam duodecim paginis constat et quinto decimo quoque die publicatur cyclostylo non typis, et hoc enim characterem eius manifestat, atque ita plus centum editoribus subservit recti bonique normam divulgans. Fit etiam aequalis editio pro nationibus exteris, in primis pro America latina; haec 16 paginas numerat. Quapropter mirum non est si optimi quique cives, Praelati in primis, tale inceptum laudibus extollunt suoque favore prosequuntur.

II. Ministerium informationis ac socialis directionis (*Servicio de información y orientación social*). — Haec pars institutores, directores et actionis catholicae propagatores respicit; praecipue etiam eos qui conventibus, congressibus, collectionibus seu circulis praesertim iuvenilibus intendunt; uno verbo ad personas ipsas potius quam ad folia se porrigit, ut habeantur homines ad actionem catholicam capaces periti atque parati. Compertum est enim non raro evenire, ut iuvenes catholicorum Collegiorum exalumni, quia prima et necessaria quaestionum socialium elementa ignorant, aliis partibus nobis etiam adversis adhaerere, nostris praetermissis et christiana doctrina in hac re derelicta. Unde bene in Belgio in ipsis Collegiis florent circuli in quibus natu maioribus explicatur doctrina

de catholica sociali actione; et in Gallia varii Episcopi praeceptum de hac re omnibus Collegiis etiam religiosis imposuerunt. — Hae porro considerationes, cum aliis, Patribus " Fomento social „ suaserunt ut hoc ministerium distinguerent. Itaque quindecim quibusque diebus 8 paginas scripto multiplicatas ac minori pretio quam in ministerio preli emittunt, quibus Magistris in scholis, Praesidibus in academiis et aliis quibuscumque provident. Illis placet quod in eiusmodi pagellis viam reperiant ut cum fructu et sine magno labore suo officio fungantur.

Vel solus index capitum cuiuslibet numeri rem commostrabit suadetque: 1) Materia doctrinalis pontificia; — 2) Materia doctrinalis apologetica; — 3) Materia paedagogico-socialis; — 4) Materia practica iuridico--socialis; — 5) Materia practica de actione sociali ac religiosa.

III. Ministerium consultationis, conferentiarun, adiectis cursibus et hebdomadibus socialibus, omnique ratione actionis catholicae in clero, in Seminariis, apud iuvenes laicos, inter classes agricolas et operarias necnon apud dominos et patronos divulgandae *(Consultorio teórico práctico de cuestiones y obras de acción social y religiosa, con su correspondiente biblioteca, su archivo, y su collección de revistas y periódicos, así nacionales como extranjeros . . . . publicar libros, folletos y hojas de propaganda . . .)*

Sic igitur seriem aperuit liber ex titulo " *Direcciones Pontificias* „ Leonis XIII, Pii XI documenta e re exhibens omnino ad placitum Eminentissimi tunc Hispaniae Primatis, Cardinalis Henrici Reig y Casanova, in sua epistola " Principios y bases de reorganización de la Acción Católica Española „. Iamque venum it alter liber inscriptus " *Juventudes Católicas* „ qui ita exivit tripertitus:

a) *Juventudes Católicas: Jóvenes y Iuventudes.*

b) *Juventudes Católicas: Juventudes católicas extranjeras.*

c) *Juventudes Católicas: Juventudes católicas españolas,*

Alii insuper varii similes libri vel sub censura sunt, vel praeparantur.

Opus " Fomento Social „ probante Patre Nostro et Assistentiae Hispaniae Praepositis Provincialibus consentientibus, primo Vallisoleti exordia habuit anno 1924; deinde, eo qui secutus est anno, Matritum migravit, ubi loco apto et ad Operis officinas convenienti utens ac tribus tantum nostris Sacerdotibus constans, mense maio 1926, adiuvantibus PP. Provincialibus Hispaniae paucis illis ope-

rariis unus Pater unusque Frater iuncti sunt: mox accesserunt, unus Sacerdos externus unusque causidicus, noster exalumnus, ambo Operis auxiliarii. Pecunia vero necessaria partim ex quodam egato procedit, partim ex subnotatorum ac rerum editarum proventibus, reliqua ex benevolorum subsidiis.

Nuperrime, quae Dei providentia est, Patres "*Fomento Social*„ applicati, in unam communitatem, licet distinctam, cum Patribus commentarios "Razón y Fe„ scribentibus transierunt, atque ita novam "Domum Scriptorum„ appellandam inchoarunt. Haec porro inaugurata est in bene auspicato festo Sollemnitatis Sancti Ioseph, die 4 maii 1927, et eidem beatissimo Patriarchae est dicata: ei nunc praeest P. Sisinius Nevares (Prov. Legion.), qui in hoc Opere condendo atque etiam in hac nova Domo invenienda instruendaque primas habuit partes.

III.

DE CULTU ET MIRACULIS BEATORUM MARTYRUM CANADENSIUM.

Die 7 augusti 1928, mandante Patre Nostro, P. Iosephus Demaux-Lagrange, Societatis Secretarius, ad omnes Provinciarum Praepositos relationem quandam misit, per domos vulgandam, de miraculis, quae intercedentibus Beatis Martyribus Canadensibus a Deo patrata dicuntur (1). Eam relationem, quam Nostris valde placuisse scimus, hic exscribimus, ut ad posterorum memoriam servetur. Liceat tamen ei quaedam praemittere de eorumdem Beatorum Martyrum cultu in dies augescente.

De cultu BB. Martyrum in Canada.

Scribunt ex Canada devotionem erga BB. Martyres Ioannem de Brébeuf, Isaacus Iogues eorumque Socios continenter augeri eiusdemque propagatores fieri vel ipsos laicos. Ad ipsorum Sanctuarium magnus est fidelium concursus, qui etiam ad 5.100 capitum pervenerunt, aliquando ipsis Episcopis ductoribus. Vicissim ex Beatis

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 179.

Martyribus vena prodigiorum ac gratiarum in clientes profluit: duo miracula iam Romam pro canonizatione delata sunt. Porro beneficia tanta sunt ut P. Iacobus Dugas (Prov. Can. Inf.) libellum de his conscripserit, cui titulum iure indidit: " *Thaumaturges de chez nous* „.

Quod mirum et insolitum dixeris, multum in id conferunt ipsae ephemerides publicae, quae in referendis his sacri nuntiis certant, eosque alia ab alia transcribit, atque sic (aliquando figuris quoque adiectis) propagant.

Praecipue hoc anno 1928 novum Beatorum Martyrum Sanctuarium per aestatem et autumnum multis et crescentibus peregrinationibus celebratum fuit.

Locus vocatur Midland in Ontario, huc usque rudis et saxosus, nunc autem, opera praesertim R. P. Ioannis Filion, munere Praepositi Viceprovinciae Canadae Superioris proxime functi, amoenus factus ac floribus, arbustis, plantis, satus et ornatus.

Existimant visitantium numerum triplo superasse annum praeteritum: onnes Ditionis Canadensis provinciae saltem suos legatos miserunt: quin et centeni ex Statibus etiam Foederatis venerunt: per mensem augustum duo diversoria ibi constituta venientibus non fuerunt satis qui alio se recipere debuerunt. Fere omnibus dominicis magna aliqua peregrinatio superveniebat. Una dioecesis Peterboroughensis 5.000 peregrinorum cum suo Antistite adduxit. Multum rem provoment, ut dictum est, et ephemerides, praecipue urbis *Toronto* et nova via ferrea (" *ligne du Pacifique Canadien* „) quae proxima; expedita, promtaque est.

In Statibus Foederatis et in Australia.

In loco *Auriesville* (Prov. Maryl. N. E.) est aliud Beatorum Martyrum Sanctuarium pro Statibus Foederatis. Peregrini qui eo conveniunt quolibet dominico die ad 10.000 ascendunt. Aliquando, eo die, in viciniis Sanctuarii duo millia ac centum automobiles currur videre fuit, et sparsim per prata ad 16.000 peregrinorum.

Etiam in remotissima Australia, ut nuper accepimus, diffunditur haec devotio. Congressus Eucharistici occasione. Nostri templum Residentiae Sydneyensis (Miss. Austral., Prov. Hibern.) belle pingi curarunt, in eoque, praeter S. P. Ignatium, S. Petrum Canisium aliosque nonnullas Societatis Caelites, etiam Beatos Martyres Canadenses fidelium oculis exscribere voluerunt.

Pro sollemni autem templi benedictione RR. DD. Alphonsum

Deschamps Episcopum auxiliarem Marianopolitanum (Montréal), qui per illos dies ut Congressui Eucharistico adesset Sydney versabatur, invitarunt. Hic venit, fere a 30 Iesuitis comitatus, pulcherrimam de Beatis Martyribus Canadensibus allocutionem habuit, nismisma argenteum a Summo Pontifice benedictum Nostris donavit, et omnibus fidelibus eorundem Beatorum imaginem distribuit, quae iam per domos cernitur.

Relatio ad omnes Provincias missa.

Sed iam audiamus narrationem quorandum mire factorum; eamque transcribimus qualem, ut diximus, ante aliquot menses ad omnes Provincias P. Secretarius misft:

Graces obtenues par l'intercession des BB. Martyrs Canadiens de la C. d. J.

Dès avant leur béatification Dieu avait voulu glorifier les huit Martyrs Canadiens par des prodiges éclatants; mais depuis que l'Eglise, le 21 juin 1925, les a proclamés Bienheureux, les prodiges se sont multipliés à tel point qu'on ne compte plus seulement des faveurs isolées, mais des guérisons en masse qui font songer aux miracles de la Galilée.

Ces guérisons de tuberculeux, de paralytiques, de cancéreux, ne se produisent pas seulement aux sanctuaires du Fort Ste-Marie, dans l'Ontario, et d'Auriesville, dans l'Etat de New-York, mais encore dans tout le pays, depuis Montréal jusqu'à Régina.

Plein de reconnaissance envers Dieu, qui semble vouloir désigner ces Martyrs aux suprêmes honneurs de la canonisation, nous avons voulu communiquer aux Nôtres le récit, non seulement des faveurs temporelles accordées si largement, mais aussi des faveurs spirituelles: du renouveau de la Foi qui s'est manifesté dans la population catholique et a même ébranlé certains groupes de la population protestante.

Les prodiges.

Nous ne donnerons pas au complet la longue série des guérisons, obtenues au cours des fêtes célébrées au sanctuaire, et à l'occasion de divers triduums et neuvaines; nous nous bornerons à donner l'aspect général de ces guérisons et nous nous arrêterons au détail de quelques guérisons qui ont fait plus de bruit. L'un des aspects les plus éton-

nants de plusieurs de ces miracles est qu'ils sont opérés souvent en masse. A certains jours, à l'occasion d'un triduum et surtout au passage d'une relique apportée de loin, les malades étaient amenés en foule: ils étaient présentés par groupes de 10 ou 12, on leur faisait réciter quelques ferventes prières comme celle-ci:

« Bienheureux Martyrs, guérissez-nous! Sacré Cœur de Jésus, glorifiez vos Martyrs! » Puis on leur faisait vénérer les reliques des Bienheureux Martyrs, et tous ou presque tous s'en allaient guéris. Un jour, une de ces séances dura 4 heures!

Le 30 décembre 1927, à St-Hyacinthe, au couvent des Sœurs de la Présentation, plus de 10 guérisons furent ainsi obtenues en quelques minutes. A Montréal, le 11 janvier 1928, à la maison-mère des religieuses des Saints Noms de Jésus et Marie, et le 19 janvier au couvent des Sœurs de Ste-Anne, les malades guéris furent au nombre de plus de 20 dans chaque maison.

Mais il est nécessaire de nous arrêter plus en détail à quelques guérisons qui firent plus de bruit.

Le Docteur Robert Neilson, né en 1889, eut des crachements de sang en 1915; malgré le soin qu'il prit de sa santé, en 1925 il était alité — atteint de tuberculose pulmonaire — deux cavités au poumon gauche, température variant entre 100 et 103° Fahrenheit (38°-39, 5° C.). En janvier de 1926, on le transporta à l'hôpital. Même température tous les jours, le malade dépérissait graduellement. On fit un triduum préparatoire à la fête des Martyrs, du 14 au 16 mars 1926. Au troisième jour, la température du Dr. Neilson devient normale, il se sent guéri et donc pas tenu d'obéir au médecin qui lui défend de se lever. Il fait de fait une promenade, puis une autre, se sentant toujours plus fort au retour; en deux semaines il gagne 5 klgrs; quinze jours plus tard, il se rend à Montréal pour se faire radiographier; la radiographie montre des lésions guéries partout, la congestion complètement disparue, les cavités guéries. Il y avait eu cessation subite de l'action microbienne.

A l'hôpital du Sacré-Cœur de Régina, la guérison merveilleuse du digne et vénéré archevêque, Monseigneur Mathieu, que tous les grands journaux du Canada annonçaient comme mourant, est considérée comme une des plus grandes faveurs accordées jusqu'à ce jour par l'intercession des Bienheureux Martyrs Canadiens. Monseigneur Mathieu avait 76 ans. Il souffrait depuis bien des années d'une maladie de reins. Durant l'été 1927, cette maladie qui minait sa forte constitution depuis longtemps, le conduisit aux portes du tombeau. Il était déjà presque mourant quand il prit une double pneumonie. On sauve rarement un vieillard d'une double pneumonie et l'espoir est nul quand il est déjà atteint d'une autre maladie grave. Le noble

archevêque s'éteignait donc lentement; mais, depuis des mois, on priait les BB. Martyrs. Mgr. Mathieu lui-même avait mis toute sa confiance en eux et portait sur lui leurs reliques. Une neuvaine était à peine terminée qu'on en commençait une autre. On ne désespéra pas même quand, après trois heures d'agonie, Monseigneur Mathieu sembla expirer; un groupe de religieuses continua à invoquer les Martyrs. A minuit sonnant, le dernier jour de la neuvaine, la vie revint subitement à celui qui paraissait n'être plus qu'un cadavre. Le danger de mort avait disparu, peu à peu les forces du Prélat revinrent, et quelques semaines plus tard il reprenait l'administration de son diocèse.

Les deux cas choisis pour le Procès de Canonisation sont tous les deux des cas de péritonite tuberculeuse. Le premier cas est celui de la Sœur Savoie, de Tracadie, Nouveau-Brunswick. Trois médecins l'avaient examinée avec grand soin. Le 21 juin 1927 on pensa lui faire recevoir l'extrême-onction. La Supérieure s'adressa aux BB. Martyrs Canadiens et commença une neuvaine le 30 juin.

La maladie persista jusqu'au dernier jour de la neuvaine; mais la guérison lui fut accordée dans la nuit de 8 au 9 juillet — guérison radicale et complète avec la disparition de toutes douleurs, de tous symptômes et le retour subit des forces.

Nous avons rapporté plus haut les guérisons obtenues le 30 décembre 1927 à St-Hyacinthe. Le cas le plus extraordinaire de cette journée de merveilles, choisi lui aussi pour le procès de canonisation, est la guérison de Sœur Marie Maxima, âgée de 41 ans; cette Sœur souffrait depuis plus de dix ans de péritonite tuberculeuse constatée par une opération chirurgicale et elle était retenue au lit depuis neuf ans. Au moment des premières applications de la relique la Sœur éprouva une étrange souffrance: « J'étais comme dans le feu », raconte-t-elle. A la troisième application, toute douleur disparut. La guérison était radicale. La malade se leva, se rendit à la chapelle, à la salle de Communauté, fut sur pied jusqu'au soir et se mit au travail dès le lendemain. Tous les symptômes de la maladie avaient disparu.

Augmentation de Foi.

Les nombreuses guérisons, souvent accordées par Dieu à la foi inébranlable de simples enfants, furent l'occasion d'une singulière augmentation de foi chez les fidèles. En voici quelques exemples:

Jimmie Fischer, de Scranton (Etats-Unis), âgé de 10 ans, souffrait depuis sa première enfance d'une tuberculose qui avait amené la carie des os. Il avait cinq plaies suppurantes à la jambe. Les spécialistes impuissants avaient déclaré la maladie incurable. Jimmie vint au sanctuaire en août 1924, et y pria toute la journée sans obtenir

sa guérison. Sa tante disait au Père Directeur du Sanctuaire; « Les Martyrs ne veulent pas guérir notre malade ». « Ils me guériront, répliqua l'enfant, j'ai tant prié les Martyrs aujourd'hui que je sais qu'ils me guériront ». Le Père Directeur, ému par cette confiance, leur dit: « Commençons une neuvaine aux Martyrs dès aujourd'hui». On fit la neuvaine et au bout de 9 jours il ne restait plus à la jambe que des cicatrices; le petit tuberculeux avait été complètement guéri.

Mlle Anna Haudt, âgée de 16 ans, était sourde depuis deux ans, par suite d'une perforation des tympans. Cette infirmité empêchait sa sœur aînée d'entrer en religion et c'est celle-ci qui conduisait Anna à la solennité de l'inauguration du nouveau Sanctuaire où, en présence de 15.000 pèlerins, la Messe fut dite en plein air. Ces deux enfants, dans leur foi naïve, étaient persuadées qu'elles n'avaient qu'à suivre la direction donnée par le Père Directeur pour obtenir infailliblement la guérison: confession, communion à la sainte Messe, application des reliques. Cette foi qui transporte les montagnes fut récompensée sur-le-champ; à l'instant de l'application des reliques, Anna obtenait une guérison parfaite.

Dans la paroisse de St-Paulin, la guérison de deux enfants avait excité une grande dévotion envers les BB. Martyrs. Quand le curé annonça un triduum pour la mi-juillet 1927, la nouvelle causa une vive joie à ses paroissiens et se répandit dans les paroisses voisines. Dès l'arrivée du prédicateur, le R. P. Jacques Dugas S. J., un miracle qui semble de premier ordre eut lieu. Paul Brodeur, âgé de six ans, avait eu la paralysie infantile en 1924 et sa jambe droite était restée inerte, le pied droit renversé sur la cheville. Il ne pouvait jamais marcher, il *sautait* sur la jambe gauche. L'on pria les Martyrs avec ferveur, l'enfant lui-même pria avec sa confiance naïve: « Bienheureux Martyrs Canadiens, guérissez-moi tout de suite, s'il vous plaît! ». L'enfant appliqua lui-même la relique sur sa jambe et tous entendirent aussitôt un craquement des os se remettant en place. L'enfant se mit à marcher aussitôt. Il était guéri. Cette guérison fut vite connue et amena à l'église une foule de malades, et beaucoup d'entre eux à leur tour répétèrent avec la même confiance et le même succès la prière de l'enfant: « Bienheureux Martyrs Canadiens, guérissez-moi tout de suite, s'il vous plaît! ».

Comme fruit de prodiges si fréquents le nombre des pèlerins accourant au Sanctuaire continua toujours à augmenter. Le nouveau Sanctuaire peut contenir près de mille personnes, mais la dévotion aux Bienheureux est telle que, tous les dimanches de la saison des pèlerinages, le Sanctuaire est rempli plusieurs fois et souvent la dernière Messe doit se chanter en plein air à cause de l'immense concours des fidèles. Cependant le Sanctuaire élevé sur la tombe de trois

des Martyrs se trouve en plein pays protestant; il n'y a pas cinq familles catholiques dans un cercle de deux kilomètres. Les fidèles y viennent donc de loin, même de plusieurs centaines de kilomètres, pour prier sur les tombes de leurs chers Martyrs. Et le bien que les fidèles retirent de ces pèlerinages fait songer aux fruits d'une mission.

Le fruit le plus admirable de cette dévotion croissante envers les BB. Martyrs est que la Foi et la confiance semblent pénétrer même chez les protestants.

Le jour de la béatification, une foule de 10.000 pèlerins était accourue au Sanctuaire. Au milieu de ces groupes de catholiques, un protestant s'était mis à genoux près des tombes pour supplier les Martyrs de le guérir de la maladie de cœur qui le rendait impotent. Il se vit exaucé sur place.

Ce renouveau de Foi chez les protestants ne se borne pas à un cas isolé. Au cours de l'été de 1927, une dizaine de mille protestants visitaient respectueusement ce berceau du christianisme en Amérique. Tel pasteur protestant visita le Sanctuaire avec dévotion. Le Père Directeur l'entretint longuement sur la vie des Martyrs et le dimanche suivant le ministre prêcha dans son église sur les Martyrs et exhorta ses auditeurs à faire un pèlerinage au Sanctuaire; il en vint en effet un bon nombre et cela faisait du bien de voir des protestants prier avec ferveur dans une église catholique.

Plaise à Dieu que la dévotion aux Martyrs Canadiens et les faveurs accordées par leur intercession puissent non seulement augmenter la ferveur des fidèles, mais amener au sein de l'Eglise nos frères séparés.

Les faits énumérés plus haut sont de nature à augmenter la confiance de toute la Compagnie et à nous exciter à répandre plus largement la dévotion envers ceux que Dieu, en multipliant les prodiges, semble vouloir destiner aux honneurs de la canonisation.

Juillet, 1928.

IV.

P. MICHAEL AUGUSTINUS PRO

E PROVINCIA MEXICANA

(† 23 nov. 1927)

De hac clarissima truculentae Mexicanae persecutionis victima ipse Pater Noster, litteris die 28 decembris 1927 datis (1), universam Societatem allocutus est, quaedam de eius vita summarie referens et gloriosam pro Christo mortem enarrans. Cum tamen eius fama longe lateque in dies diffundatur, amplior quaedam tanti viri notitia, etsi non ultra necrologici articuli limites, a nostris hisce annalibus profecto abesse non potest.

P. Michael Augustinus Pro die 13 ianuarii 1891 piis honestisque parentibus ortus est in urbe Concepción del Oro in Statu Zacatecas Foederationis Mexicanae. Cum iuvenili adhuc esset aetate vitam religiosam capessere non cogitabat, et longi alio vitam suam dirigere velle videbatur. Sed iuvenis animum perculit, quin moveret, duarum sororum in claustrum secessus; movit revera Deus cui, vocanti in Exercitiis ad religionem clericorum paruit. Itaque anno 1911, die festo S. Laurentii Martyris, tirocinium nostrum contendit, quod tunc Provincia Mexicana in pago El Llano (Michoacán) habebat. Novitius, iam tum erat iucundus et fervidus, quasi animi dotes numquam dimisit, sed tenuit fovitque. Die 15 augusti 1913, in festo Assumptionis B. M. V., Frater Pro prima religionis vota nuncupavit, quibus se Deo in perpetuum mancipabat, pro salute animarum tota vita sibi connitendum esse proponens. Rebus publicis, anno 1914, in Mexico perturbatis, etiam familia Pro multas calamitates patienter, ut christanos decet, subiit, quas Scholasticus quoque noster ob filialem pietatem vehementer persensit, sed invicto animo pertulit; quin et proprium duodecim ferme annorum e patria exsilium hilari semper corde vultuque de manu Dei suscepit. Nam Superiores, de subditorum quiete ipsaque vita solliciti, iuniores omnes e ditione Mexicana in alias Provincias ad studia complenda mittere statuerant.

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 711-713.

Itaque, mense septembri 1914, Frater Pro eiusque socii laicalibus vestibus per medios hostes non sine Fratris Michaelis industria incolumes transeuntes, in Californiam primum profecti sunt, indeque proximo anno 1915 in Hispaniam traiecerunt. Philosophiae operam dedit Scholasticus noster Granatae, in Provincia tunc Toletana nunc Baetica, annis 1917–1920; dein magisterio duos annos vacav t in Collegio Granadensi in Nicaragua, unde anno 1922 rursus Hispaniam petiit, quin suum Mexicum revideret. Theologiae studuit partim in Collegio Maximo Sarrianensi (Prov. Arag.), partim in Collegio Maximo Angiensi (Prov. Camp.), ubi die 31 augusti 1925 sacerdotio est initiatus. Toto hoc studiorum tempore caritatis exercitationibus ad finem intentum se comparabat divinoque consilio famulabatur. Si quid ab eo peteres: Quam contentus faciam! respondebat. Cum aliquando quaedam discussio in animi relaxatione fieret, intervenit ipse dicens: "Tu contra, ego sum *pro!*" Festivus, musicus, et etiam innocenter mimicus fiebat pro caritate. Et tamen a multis diu et fortasse adhuc ignoratur, quanti ei staret haec simplex iucunditas, quae naturalis videri potuit.

Iam a pluribus annis stomachi doloribus cruciabatur, quibus Deus suam victimam praeparabat. Hi tantum excreverunt ut ter chirurgi operam requisiverint. Secunda vice, cum medicus ob eius debilitatas vires nullum lenimen praemittere statuisset, P. Pro qui iam dixerat: "Dolores physicos non metuo" ab hoc fortissimi animi proposito se non defecisse ostendit. Attamen, ne post tertiam quidem operationem, plenam sanitatem recuperavit sed longos menses in domum valetudinariam secedendum fuit, donec a suo Praeposito in patriam revocatus est. In his omnibus eluxit praeterea eius obedientia, patientia, conformitas, oratio protracta in multam noctem, quam saepe ducebat insomnem: hinc vires hauriebat, virtutesque omnes e SS. Corde Iesu, cui erat addictissimus, per Virginem Deiparam, cuius tenerrimum sese profitebatur clientulum, addiscere et in se exprimere curabat. Semper tamen in eius animo manebat desiderium in opificum salutem se consecra di; iamdiu enim noverat spirituales eorum miserias, cum adhuc paternis in aedibus degens ad parentis fodinas haud semel descenderet opera metalli invisurus et cum fossoribus amice collocuturus. Ingenio potius practico quam speculativo praeditus, etiam studia philosophica et theologica ad ea ministeria, ordinare conabatur, in quibus se immixtum iri prospiciebat. Ne vero in quae-

stione tanti momenti quidquam a recta Ecclesiae doctrina aberraret, iam documenta Leonis XIII de re sociali in compendium sibi redegerat, et in Pii X sensa idem faciendum proposuerat.

Eo die quo Sacerdos factus est (Enghien, 31 augusti 1925) exclamavit: " Simpliciter a Domino petii ut animabus utilis sim futurus!„ Exinde coepit omnibus quibus potuit modis sacrum ministerium exercere. Culmen laetitiae fuit quando eius petitioni factum est satis, ut miseros viseret qui ad opera ferri in cuniculis et in profundis fornacibus intendunt; plurimi illi quidem, multae istae in urbe Caroli Regis (Charleroi) in Belgio. Descendit in atra et horrida antra — inferna diceres, — allocutus, solatus est eos, et aliquando rediens comitem hilarem illis mirantibus (erant quippe " socialistae „) se iunxit in via. Cum die quodam, Bruxellis, deambulando, prope stationem ferream pervenisset ac turbam hominum inibi operantium vidisset: " En, inquit, animas quas diligo !„ Quidquid ad quaestionem operariam pertinebat, scrutabatur assidue ac conferebat, Divino Operario exemplari proposito.

His erat animi studiis occupatus cum patriae laboranti, ut diximus, auxilio vocatus est (1926), Missioni inter Tarahumaras addictus. Sed persecutione ibi vehementius saeviente, Mexicopoli remansit. Invenit omnia concussa et perturbata, in primis religiosa negotia. Fuit tamen animo superiori et ipse temporibus par, imo maior. Is qui cum versaretur in Europa dixerat: " Mori iam iam paratus sum „ periculis caput obiecit, laboribus non pepercit nihil trepidans, Deo fretus, quem " suum Patrem „ vocitabat, et ductum obedientiae sequens. Tempora referebant ea quae primis Ecclesiae saeculis acciderunt. Scribebat: " Infirmi?... Viatico muniti?... Sancto Oleo inuncti?... Vix uni succurritur pro cento! „ Et iterum: " Confessionum, Communionum, Baptismorum numerum non recenseo... Sacerdotum defectus extremus est: gens sine sacris obit; pauci qui sumus non sufficimus „. Profanis vestibus sacerdotalem characterem dissimulans, apostolico animarum zelo nativam viri alacritate inflammante, omnia omnibus factus, Exercitia Spiritualia sive mulieribus sive viris, inter quos quinquaginta rhedarum automobilium ductoribus, dare potuit, aliaque utilissima ministeria obire, ut quondam in communibus Societatis nuntiis, eius nomine prudentiae causa tunc solis primis litteris indicato, paulo fusius retulimus (1). Nec animorum tantum sed et corporum necessitatibus

(1) V. supra, pag. 11.

se impendebat nam, v. gr., prius 39, ad extremum 96 familiis spoliatis providebat, nullo censu fixo, sed tantum ex christiana caritate. Eius exemplum, conversatio, constans quaedam sancta iucunditas animos mulciebat et aliquando etiam rebelles religioni mancipabat. In suis chartis intimis desiderium exprimit profundendae vitae et famae pro Domino suo. Et Deus utrumque votum exaudivit. Quod quanto hominum scelere ac infando crimine peractum sit, ipse Pater Noster memoratis litteris enarravit (1); sed ne manca sit historia, hic quoque breviter referemus.

Ab Ecclesiae hostibus non semel quaesitus, quandoque etiam vi captus et in carcerem detrusus, semper eorum insidias aut eluserat aut irritas fecerat. Tandem intentatae duci generali Alvaro Obregon mortis per putidam calumniam accusatus, die 17 novembris 1927 cum germanis fratribus Humberto et Roberto Pro in vincula coniectus est. Nulla vero causae disceptatione praehabita nulloque servato iuris praescripto, ipse supremus Mexici tyrannus Plutarcus Elias Calles die 23 novembris P. Michaelem Augustinum Pro plumbeis glandibus confodi iussit. Pater mortis sententiam tranquillo vultu audivit, et suam innocentiam palam professus, post veniam carnificibus, uno ex iis petente, libenter datam, locum supplicii firmo gressu adiit. In oratione flexis genibus paulisper moratus, deinde surgens et innocentiam suam rursus testatus, brachia ad modum crucis, Rosarium Beatae Virginis leva manu tenens, extendit, et Christum Regem pacata et devota voce acclamans lethiferos globulos, insigni profecto et vere christiana fortitudine, in se recepit. E duobus aliis fratribus Pro in carcerem coniectis, Humbertus eadem die eademque crudeli nece multatus est; Robertus vero, post quosdam dies e carcere dimissus, in exsilium cum sene parente et sorore pulsus, in insulam Cubam cum iisdem se recepit.

Iuvat hisce verbis Patris Nostri concludere, quibus nunc post annum completum multa alia addi possent:

" Quam martyrii palmam vehementer exoptarat, eam hac moriendi ratione optimum Patrem consecutum esse, equidem asserere non audeo, cum unius Ecclesiae sit id pronuntiare, neque nobis liceat eius iudicium antevertere. Sed eum (historice loquar) martyrem praedicavit ingens illa civium multitudo, ad 15.000 eoque amplius aestimata, quae eius exsequiis adfuit et funus ad coeme-

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 712-713.

terium comitata est, Christum Regem eiusque Martyres identidem acclamans „ (1). Et sane, nulla alia excogitari potest huius iniquae caedis causa, quam odium religionis et sacerdotalis ministerii invidia.

Huius gloriosae mortis fama, brevi per universum catholicum orbem diffusa, populorum erga Patrem Pro pietatem excitavit, multis quoque, ut fertur, a Deo eius intercessione mire factis impetratis. Innumerabiles fere articuli in ephemeridibus aut periodicis conscripti sunt; plurimi item libelli quavis lingua exarati prodierunt eius gesta et heroicam mortem enarrantes, e quibus libellis liceat hic praecipuos saltem commemorare:

El Rev. P. Miguel Agustin Pro Juárez, S. J., Mártyr del ministerio sacerdotal. — Barcelona, 1927. - (Auctor est Fr. Schol. Aloisius Aramburu S. I. — Hic libellus iterum editus est anno 1928.

P. Felice Rinaldi S. I. — *Nel Messico martoriato: Fine gloriosa del P. Agostino Michele Pro d. C. d. G. e Compagni fucilati a Messico, il 23 novembre 1927.* — Roma, Civiltà Cattolica, 1928.

P. Jacques Couvreur S. J. — *Au Mexique, terre des Martyrs: Le P. Pro-Juarez de la Comp. de Jésus, fusillé pour le Christ-Roi.* — Toulouse, Apostolat de la Prière, 1928.

Franz. Xav. Weiser S. J. — *P. Michael Pro S. J. und seine Gefährten. Die Märtyrer von Mexico-Stadt.* — Wien (Austria), 1928.

Rev. Thomas F. Ryan S. J. — *Murdered in Mexico: Father Michael A. Pro S. J.,* (1891-1927). — Dublin (Hibernia), Irish Messenger, 1928.

Zsamar Jenö S. J. — *Viva Christo Rey! A Mexikói vérfürdö.* — Budapest (Hungaria), 1928.

O Meczesnkim Meksyku. — Kraków (Polonia), 1928.

Mučeniška Mehika. — Ljubliana (Iugoslavia), 1928.

P. Antonio Dragon S. J. — *Pour le Christ-Roi: Miguel Agustín Pro de la Comp. de Jésus.* — Montréal (Canada), Messager du S. C., 1928. — Haec amplior biographia, Summo Pontifici exhibita ab Eoque peculiaribus litteris laudata (2), nunc iterum aucta et emendata editur in Belgio, curante Museo Lessiano.

(1) *Acta Rom.*. vol. V, 1927, pag. 713.
(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 60.

V.

LITTERAE QUAEDAM POSTULATORIAE A PATRE NOSTRO DATAE IN CAUSIS SANCTORUM NON DE SOCIETATE.

1. — Pro introducenda causa beatificationis Martyrum Lugdunensium saeculi XVIII exeuntis.

Beatissimo Padre,

Dopo la solenne glorificazione decretata dalla Santità Vostra all'eroica falange di 191 Martiri di Parigi del settembre 1792, sorse più ardente il desiderio e più viva la speranza di vedere onorati dello stesso titolo di Beati anche tanti altri confessori della Fede, che in altre città di Francia in quei luttuosi anni della grande rivoluzione diedero generosamente la vita a difesa della Chiesa Cattolica e per rimanere fedeli alla Cattedra di Pietro. E già in varie parti si sono fatti i Processi Ordinari e si sono inviati o stanno per inviarsi alla Sacra Congregazione dei Riti.

Avendo saputo che a tale punto precisamente si trova la Causa di 72 vittime dei tribunali rivoluzionari di Lione, prostrato ai Piedi della Santità Vostra, oso unire a tante altre anche la mia supplica e quella di tutta la Compagnia di Gesù per implorare l'Introduzione di detta Causa presso codesta Sacra Congregazione dei Riti, affinchè si moltiplichino i salutari esempi di fedeltà e di eroismo da proporsi al popolo in questi tempi che esigono in tutti i cattolici non minore fedeltà e spesso non minore eroismo.

A ciò domandare mi muove pure il ricordo che tra quelle 72 vittime la Compagnia di Gesù ne scorge due stati già suoi degni figli: il P. Gabriele Duplex e il Fratello Carlo Ferry, i quali in faccia al patibolo affermarono con mirabile costanza la loro Fede e il loro attaccamento alla Santa Sede. Del Fratello Carlo Ferry poi in particolare perfino i Commissari rivoluzionari in una relazione inviata al Tribunale dovettero confessare che l'interrogatorio e i documenti riguardanti l'accusato attestavano " *sa sainteté et son amour pour son Dieu* „ ma conchiudevano: " *Nous vous invitons de bien vouloir le juger séance tenante* „.

Con la speranza che la Santità Vostra si degnerà accogliere con la Sua consueta paterna bontà l'umile mia supplica, prostrato

al bacio del Sacro Piede, imploro umilmente l'Apostolica Benedizione.

Roma, 2 marzo 1927.

Della Santità Vostra ultimo figlio
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

II. — Pro introducenda causa beatificationis Servi Dei Caroli Eugenii de Mazenod, Massiliensis Episcopi et Oblatorum Mariae Immaculatae Fundatoris.

Beatissime Pater,

Certior factus, mox ad Sacram Rituum Congregationem deferendam esse causam beatificationis Servi Dei Caroli Eugenii de Mazenod, olim Massiliensium Episcopi, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humillimis precibus eandem Sanctitatem Vestram exoro ut illius causae introductionem quam primum signare dignetur.

Ad id postulandum me movent in primis eximiae eiusdem Servi Dei virtutes et magni pro Christi Ecclesia exantlati labores, cum in ministerio pastorali sibi commisso, tum in nova evangelicorum operariorum familia instituenda, quae brevi sacris expeditionibus ad extremas usque orbis plagas susceptis, magnos animarum manipulos Deo lucrari coepit et maiores in dies colligere perseverat. Sed gratus quoque me impellit animus erga fidelissimum Societatis Iesu amicum et insignem benefactorem, qualem semper vel in difficillimis temporibus experti sumus Reverendissimum Dominum de Mazenod, ita ut piissimus meus praedecessore, P. Ioannes Roothaan, haud communi et ipse sanctitatis fama clarus et tenera cum Servo Dei amicitia coniunctus, eum omnium Societatis spiritualium bonorum participem fecerit et edixerit.

Hanc sanctam amicitiam me protrahere mihi videor, et praeterea fraternam necessitudinem, qua Societas nostra cum Oblatis Mariae Immaculatae iampridem devincitur, arctiore vinculo firmatum iri equidem spero, si plurimis aliorum petitionibus hanc quoque meam adiungo ac pro modulo meo optatam Servi Dei glorificationem maturare contendo.

Hos animi mei sensus ad pedes Sanctitatis Vestrae depono, enixe implorans ut eos Sanctitas Vestra gratos habeat iisque, si fieri potest, quantocius satis facere dignetur.

Sacrum pedem demisse deosculatus, humillimum me profiteor.

Romae, die 7 februarii 1928.

Sanctitatis Vestrae filium ac servum
WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

III. — Pro introducenda causa beatificationis Servi Dei Camilli Costa de Beauregard, Canonici Cameriensis.

Beatissime Pater,

Camberii in Sabaudia anno 1910 pie, ut vixerat, in Domino quievit Reverendus Canonicus Camillus Costa de Beauregard, qui in eadem urbe ante 69 annos nobilissimo genere ortus erat. Benignissimus Deus, " qui in Ecclesia sua nova semper instaurat exempla virtutum „ tanta eum caritate erga pauperes et potissimum erga pueros parentibus orbatos ornare dignatus est, ut viva S. Vincentii a Paulo imago passim haberetur. Exstat insigne eius caritatis monumentum Camberiense orphanotrophium " du Bocage „ nuncupatum, quod Dei Famulus instituit et quadraginta eoque amplius annos nullis parens laboribus assidua cura rexit ac promovit. Sanctitatis fama, qua vivens fruebatur, latius in dies diffunditur et altius in omnium animis confirmatur, ut constat ex processibus ordinaria auctoritate in Curia Archiepiscopali Camberiensi instructis.

Cum autem haec causa ad Sacram Rituum Congregationem mox deferenda sit, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillimis precibus exoro, ut eadem Sanctitas Vestra introductionem causae Famuli Dei Canonici Camilli Costa de Beauregard quamprimum signare dignetur. Quod quidem eo libentius praesto, quo arctiore vinculo Dei Servus cum Societate Iesu devinciebatur: nam iam inde a puero fuit Collegii nostri Brugelettensis alumnus et deinde in Collegio Romano theologiae auditor et semper fidelem nostri Ordinis amicum se praebuit, libentissime etiam cernens duos ex fratris filiis inter Iesu Sodales cooptatos.

Sacrum pedem humillime deosculatus, gaudeo me profiteri

Romae, die 9 februarii 1928.

Sanctitatis Vestrae filium ac servum
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

IV. — Pro introducenda causa beatificationis Servae Dei Mariae a Providentia, Congregationis Auxiliatricum Animarum Purgatorii Fundatricis.

Beatissimo Padre,

Lo Spirito di Dio, che sa abbellire la mistica Sposa di Cristo di una mirabile varietà e conduce le anime generose per svariatissime vie allo stesso scopo della maggior gloria di Dio, ha suscitato nella sua Chiesa, poco dopo la metà del secolo scorso, una istituzione veramente provvidenziale, la Congregazione delle Religiose Ausiliatrici delle Anime del Purgatorio, incoraggiata dal Santo Curato d'Ars, approvata dai Sommi Pontefici e visibilmente benedetta dal Signore con una floridezza non comune e coi frutti copiosissimi di salute che essa va raccogliendo nelle sue 48 case, che sono come centri attivi di irradiazione benefica sparsi attraverso l'Europa e l'America e fino nella lontana Cina.

L'anima eletta scelta da Dio a seminare nel giardino della Chiesa quest'aiuola olezzante e magnifica, la Serva di Dio Madre Maria della Provvidenza, seppe degnamente corrispondere ai disegni misericordiosi dell'Altissimo. Animata da una fede inconcussa, da una confidenza in Dio stimata comunemente davvero eroica, da una carità sempre attiva verso Dio e verso il prossimo, non diceva mai basta quando si trattava di lavorare per il Signore, per il sollievo delle Anime del Purgatorio, per il bene di tutte le anime redente dal Sangue di Gesù Cristo. Sorretta da questa fede, da questo spirito soprannaturale, non si spaventò delle difficoltà, non indietreggiò nelle imprese della gloria di Dio, non si abbattè nelle sue personali sofferenze, desiderosa unicamente di morire sulla Croce del suo Sposo divino, che esaudì la generosa offerta di quella vittima di carità, il cui sacrificio si consumò in mezzo a dolori acerbissimi il 7 febbraio 1871.

La fama di santità che la Madre Maria della Provvidenza godeva già in vita non solo tra le sue figlie ma anche presso personaggi insigni essi stessi per esimie virtù, come il Santo Curato d'Ars e il P. Pietro Olivaint S. I., si andò estendendo rapidamente, autenticata anche, come sembra, da grazie e favori straordinari che si dicono ottenuti per la sua intercessione.

Perciò, Beatissimo Padre, prostrato ai piedi della Santità Vostra oso supplicarLa umilmente, anche a nome della Compagnia di Gesù, che ebbe occasione di prestare qualche modesto aiuto alla fondazione di quell'utilissima Congregazione e che, spe-

cialmente nelle Missioni di Cina, ammira in essa un provvidenziale strumento di apostolato, affinchè la Santità Vostra si degni ordinare l'introduzione della causa di beatificazione della Serva di Dio Madre Maria della Provvidenza, Fondatrice delle Religiose Ausiliatrici delle Anime del Purgatorio.

Roma, 11 maggio 1928.

Della Santità Vostra
ultimo figlio e servo in Cristo
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

VI.

LITTERAE QUAEDAM OFFICIOSAE PATRIS NOSTRI ANNIS 1927 et 1928.

I. — Ad Rev.mum Dom. Philippum Rinaldi, Rectorem Maiorem Piae Societatis Salesianae Ven. Ioannis Bosco, ob pontificium decretum de heroicis Venerabilis Fundatoris virtutibus.

Reverendissimo Padre,

Per quel santo vincolo di fraterna carità, che non solo lega tra loro gli Istituti Religiosi di qualunque genere, ma che in particolare e per tanti titoli unisce le famiglie di S. Ignazio e del Ven. Don Bosco, mi permetta, Rev.mo Padre, che a nome di tutta la Compagnia di Gesù venga a presentare a Lei e a tutta la benemeritissima Società Salesiana le più sincere congratulazioni per il solenne Decreto che afferma al cospetto di tutto il mondo l'eroicità delle virtù del loro Ven. Fondatore (1). Noi prendiamo vivissima parte alla legittima esultanza che in questi giorni ben a ragione pervade tutta l'ormai immensa Famiglia Salesiana, e ci uniamo con loro a ringraziare il Signore per sì grande consolazione, pegno e promessa di una consolazione molto maggiore, che noi con tutto il cuore auspichiamo e desideriamo, quella cioè di vedere ben presto il loro Padre e Fondatore cinto del nimbo dei

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XIX (1927), pp. 150-153.

Beati e dei Santi. Non mancheremo di affrettare anche con le nostre preghiere quel giorno così bello e glorioso, che speriamo ormai vicino.

Sembra che alle nostre fraterne congratulazioni terrene si associ dal Cielo l'Angelico S. Luigi, di cui il Ven. Don Bosco fu tanto devoto, cadendo la promulgazione del Decreto appunto in questo anno giubilare Aloisiano, e proprio mentre il sacro capo di lui passa trionfalmente per le città dell'alta Italia, che più da vicino sentirono e sentono l'efficacia educativa di Don Bosco e de' suoi degni figli.

Voglia gradire, Rev.mo Padre, questi miei sentimenti che mi sgorgano dal cuore, e mi creda

Della Paternità Vostra
Roma, 23 febbraio 1927. devotissimo nel Signore
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

II. — Ad Reverendissimum P. Aloisium Zambarelli, Praepositum Generalem Clericorum Regularium a Somascha, quarto ab illo Ordine condito exeunte saeculo.

Rev.mo Padre,

Nella fausta ricorrenza del quarto centenario della fondazione del santo Ordine dei Chierici Regolari Somaschi, mi gode l'animo di poter esprimere di cuore alla P. V. Rev.ma i più vivi rallegramenti miei e di tutta la Compagnia di Gesù, per le tante benemerenze da esso esercitate in quattro secoli, segnatamente in pro dell'educazione cristiana in generale e della fanciullezza derelitta in particolare.

All'ammirazione che noi tutti sentiamo per il loro molteplice e fecondo apostolato, va congiunto il fraterno e costante affetto che rannoda i nostri due Ordini, sorti quasi contemporaneamente e svoltisi fra tanta solidarietà d'ideali e di sentimenti. E la storia della Compagnia, nelle sue pagine a noi più care, ricorda con riconoscenza le benigne accoglienze ricevute dal nostro S. Fondatore Ignazio nell'ospedale Somasco del Bersaglio in Venezia, nel quale egli esercitò la sua eroica carità, seguito tosto nel pietoso ufficio

da' suoi primi compagni, quali S. Francesco Saverio, il B. Fabro e il P. Lainez... Fra le opere poi di carità, coltivate a Roma dallo stesso nostro S. Fondatore, viene registrata quella della *Compagnia degli Orfani*, retaggio poi dei benemeriti Figli del glorioso S. Girolamo Emiliani. È qui il caso di ripetere le confortanti parole: Quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!

Voglia il divino Maestro moltiplicare e sempre più promuovere, per i crescenti bisogni della S. Chiesa e delle anime, l'operosità feconda della nobile schiera dei figli dell'Emiliani, che hanno tanto meritato della S. Chiesa e della Società.

E con questo fraterno augurio ossequiandola in unione di SS. Sacrifizi mi professo

Di Vostra Paternità Rev.ma

Roma, 3 gennaio 1928. Dev.mo ed aff.mo in X.°

WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI

Prep. Gen. d. C. d. G.

III. — Ad Rev.mum P. Melchiorem a Benisa, Ministrum Generalem Minorum Capuccinorum, quarto exeunte saeculo a prima illius Ordinis pontificia approbatione.

Reverendissimo P. Generale,

In questo giorno sacro al Protomartire di Propaganda, gloria fulgidissima dell'inclito Ordine, a cui la Paternità Vostra così degnamente presiede, vengo a presentare alla stessa Paternità Vostra Reverendissima e in Lei a tutta la benemerita famiglia Cappuccina a nome della Compagnia di Gesù le più cordiali congratulazioni e i più fervidi auguri per l'imminente faustissimo quarto centenario della prima solenne approvazione di codesto degnissimo ramo del grande albero Francescano.

Chiunque ami la santa causa del Regno di Gesù Cristo sulla terra non può non rallegrarsi di tutto cuore dell'immenso bene operato da codesto venerabile Ordine nei quattro secoli della sua rigogliosa vita, e non può non unirsi ad esso nel ringraziare il Signore d'averlo così provvidenzialmente suscitato nella sua Chiesa. È tutta una luminosa scia di santità e di apostolato che da quattro secoli ininterrotta solca il mare di questo mondo, annunziando, anche col semplice mostrarsi della ruvida tonaca del Cappuccino,

l'evangelica povertà, la santa umiltà, il disprezzo delle cose caduche, il pregio delle eterne.

Ma la nostra minima Compagnia ha una ragione tutta particolare per prendere viva parte al legittimo gaudio di codesto glorioso centenario. Sorta pochi anni dopo il loro Ordine, essa ha sempre camminato a fianco ai Cappuccini, condividendo con loro la benevolenza dei Sommi Pontefici, come di un Gregorio XIII, e l'odio dei nemici della Chiesa, specialmente degli eretici. Le due nostre famiglie religiose furono poi sempre unite tra loro, non solo da quella fraterna carità che vige tra tutti i figli della stessa Madre, la Santa Chiesa Cattolica, specialmente tra gli Ordini Religiosi che più apertamente fanno professione della carità evangelica, ma anche da una santa amicizia tutta speciale, che fu non raramente suggellata anche col sangue sparso insieme sugli stessi campi delle apostoliche battaglie, come in Etiopia.

Con fraterno giubilo adunque, Reverendissimo Padre, noi ci associamo a loro nel cantare l'inno del ringraziamento, e ripetiamo coll'amabile S. Felice da Cantalice il suo incessante: " Deo gratias! „. Voglia il Signore spargere sempre copiosissima, come per il passato, la sua grazia sopra codesta eletta porzione della grande famiglia Francescana e ne moltiplichi sempre più i frutti di quella eroica santità, che già diede alla Chiesa cinque grandi Santi e numerosi Beati, e che sta per essere coronata con nuove auspicatissime glorificazioni anche di recenti Servi di Dio.

Con particolare compiacenza faccio voti che lo spirito missionario, che tanto eminentemente, sempre rifulse, da S. Giuseppe da Leonessa e S. Lorenzo da Brindisi al Cardinal Massaia, e sempre rifulge in codesto veneratissimo Ordine, si espanda sempre più ad infiammare del serafico spirito tutta la terra; e che i giovani Religiosi che, con tanta lode di virtù e sapere, frequentano le aule della Pontificia Università Gregoriana, crescano quali li vuole l'alta vocazione e le domestiche purissime glorie della loro religiosa famiglia, la quale alla santità ha sempre congiunto anche la scienza come mostrarono, per tacere di altri, i grandi Cardinali Casini e Vives y Tuto.

Affinchè poi i nostri auguri e i nostri voti siano più efficaci, e a tenue pegno della nostra fraterna congratulazione, nella prima settimana di luglio, in cui ricorre precisamente la fausta data centenaria, farò eelebrare dai nostri Padri quattrocento sante Messe in ringraziamento dei quattro secoli scorsi e in auspicio dell'avvenire.

Voglia, Reverendissimo Padre, gradire anche i miei personali auguri e ossequi, mentre raccomandandomi alle Sue preghiere, godo professarmi

Roma, 24 aprile 1928,
festa di S. Fedele da Sigmaringa.

Della Paternità Vostra Reverendissima
devotissimo nel Signore
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

Huius epistolae versionem latinam subiicimus, qualem ipsi Patres Capuccini ediderunt in commentario "Analecta Ordinis FF. Minorum Capuccinorum".

Reverendissime Pater,

Hac die, Fidei Propagandae Protomartyri sacra, qui inclyti Ordinis, cui Paternitas Tua tam digne praeest, praefulgida extat gloria, Societatis Iesu nomine, eidem Paternitati Tuae Reverendissimae universaeque Capuccinorum bene meritae familiae, ob quarti saeculi exitum a prima solemni istius clarissimi rami excelsae franciscalis arboris adprobatione, cuius faustissima celebratio imminet, vehementissime gratulor votaque mea laetanter promo.

Quisquis sanctam regni Iesu Christi super terram diligit causam, praetermittere non potest quominus toto corde de immensitate boni gaudeat, quod iste venerabilis Ordo, quadringentorum annorum spatio feracis vitae operatus est, ac nequit non consociari cum ipso in gratiis Deo reddendis, qui, modo suae providentiae digno, eundem in Ecclesia suscitavit utpote clarissimum sanctitatis et apostolatus lumen, quod per quatuor saecula haud interceptum, mari huius mundi sulcos infidit, annuntians vel aspera Capuccinorum tunicae praesentia, evangelicam paupertatem, sanctam humilitatem, rerum caducarum contemptum, aeternarumque laudem.

At minime nostra Societas non sine peculiari causa impellitur, ut huius gloriosi Centenarii particeps legitimi gaudii fiat. Namque, cum paucos post annos ab Ordinis Capuccinorum ortu fundaretur, ad eorum latus iugiter incessit, simul cum ipsis participans Summorum Pontificum benevolentiam, v. gr. Gregorii XIII, et hostium Ecclesiae odium, praesertim haereticorum.

Exinde utraque religiosa familia, non modo illa fraterna caritate, quae inter omnes filios unius Matris sanctae catholicae Ecclesiae viget, videlicet inter Religiosos Ordines evangelicam dilectionem clarius profitentes, verum etiam sancta particularique amicitia coniuncta est, quae vel sanguine, in iisdem apostolicorum praeliorum campis simul effuso, ut contigit in Aethiopia haud rarius est obsignata.

Fraterna igitur laetitia, Reverendissime Pater, vobis coniungimur, gratiarum actionis hymnum concinentes, illamque amabilis S. Felicis a Cantalicio perennem iterantes laudem: "Deo gratias!"

Effundat usque Deus, ut jam tempore acto, super istam electam magnae franciscalis Familiae portionem, copiosissimas gratias, ac magis magisque fructus illius

heroicae sanctitatis multiplicet, quae quinque praeclaros Sanctos plurimosque Beatos Ecclesiae dedit, quaeque iam in eo est, ut novis auspicatissimis recentium Servorum Dei glorificationibus coronetur.

Pergratum mihi est vota peculiari modo facere, ut Fidei propagandae ardor, qui S. Iosepho a Leonissa, S. Laurentio a Brundusio, Cardinali Massaia praeeuntibus, tam mirifice enituit, quique semper in isto dignissimo Ordine enituit, quam maxime ad inflammandum seraphico spiritu orbem terrarum difundatur, iunioresque Religiosi, qui, tanta cum virtutis scientiaeque laude, Pontificias Gregorianae Universitatis aulas frequentat, succrescant prout celsa vocatio postulat, ac praestantes domesticaeque referunt gloriae ipsorum religiosae familiae, quae semper scientiam cum sanctitate copulavit, prout clarissimi Cardinales Casini et Vives y Tuto, ut de ceteris taceam, demonstrarunt.

Ut autem haec optata ac vota efficaciora evadant, inque fraternae gratulationis nostrae tenue pignus, prima hebdomada mensis iulii, in qua quidem fausta dies solemnium saeculiarium commemorabitur ob quatuor saeculorum memoriam, quae iam decurrerunt, et in auspicium futuri, quadringentas sanctas Missas a nostris Patribus celebrari iubeo.

Accipe, Reverendissime Pater, mea quoque vota et obsequia, meque precibus tuis enixe commendans, vocari gestio

Romae, die 24 aprilis, in festo S. Fidelis a Sigmaringa.

Tuus in Domino addictissimus
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI, *Praep. Gen. Soc. Iesu.*

RESPONSIO P. MINISTRI GENERALIS CAPUCCINORUM :

Roma, 28 Aprile 1928.

Reverendissimo Padre,

Non ho parole sufficienti per esprimerLe tutta la consolazione e la gioia che ha suscitato nel mio cuore la nobilissima lettera con la quale la P. V. Rev.ma, a nome pure di tutta la illustre Compagnia di Gesù, ha voluto onorare la ricorrenza del nostro quarto centenario.

La partecipazione che prende la Compagnia a questa nostra celebrazione e i motivi particolari che l'hanno suggerita saranno appresi, lo posso assicurare, da tutto l'Ordine nostro con gioia non minore della mia ; e questa servirà, ne sono certo, ad aumentare sempre più tra le nostre due grandi Famiglie quella unione che crea la forza per il trionfo del Regno di Gesù Cristo e della sua Chiesa nelle anime ; e nello stesso tempo impegnerà tutti i Cappuccini, ma specialmente quella parte eletta dei nostri giovani che nella Università Gregoriana frequentano le lezioni dei dottissimi Padri della Compagnia, a mantenersi anche per l'avvenire alla altezza della loro vocazione, in modo da non demeritare giammai quella stima e quell'onore che la Compagnia, in questa ora storica, si è compiaciuta di tributar loro.

Grazie perciò, Rev.mo Padre, delle Sue parole, che sono per noi causa di tanta gioia e onore e contengono tante ripromesse di bene per l'avvenire; ma grazie ancora più grandi per il modo, così significativo, geniale e sublime, con cui la Compagnia di Gesù si unisce a noi nel tributare all'Altissimo il ringraziamento per i grandi benefici che dalla Divina Bontà ci sono stati generosamente compartiti in questi quattro secoli della nostra esistenza. Il nostro Ordine, serbando riconoscenza imperitura per questa testimonianza di fraterna unione, non mancherà di moltiplicare le sue preghiere a Dio, affinchè continui ad effondere sopra la benemerita Compagnia di Gesù sempre maggior copia di elette grazie e benedizioni.

Io intanto, valendomi ben volentieri di questa bella occasione, insieme ai ringraziamenti di tutto l'Ordine, porgo alla P. V. Rev.ma un mio, particolare e cordialissimo, mentre con ogni più distinto ossequio mi professo

Della P. V. Rev.ma
Dev.mo ed Obbl.mo Servo
Fr. Melchiorre da Benisa
Min. Glis. Cap.

IV. — Ad Sodales Viros Congregationum Marianorum in nostro templo S. Francisci Xaverii Dublini (Prov. Hibern.), tertio exeunte saeculo ab illa Congregatione condita.

Solades optatissimi,
P. Ch.

Faustissimo iam recurrente die, quo ante 300 annos prima virorum Dublinensium Congregatio Mariana rite condita fuit, communis vestri gaudii particeps equidem esse cupio, etsi corpore absens, spiritu tamen vobis omnibus praesens. Non me profecto latet quam iniquis temporibus prima illa Congregatio, a qua hodiernae vestrae Sodalitates originem ducunt et spiritum, instituta fuerit: saeviente enim tunc crudelissima persecutione, legibus iniquis, multis, morte ipsa, omni denique arte atque industria, contendebant catholici nominis hostes fidem veram e cordibus Hibernorum exstirpare. Quod animo tam excelso et invicto scelestorum hominum machinationibus restiterunt catholici, id magnam partem Congregationibus Marianis acceptum iure referimus, quas, exeunte saeculo XVI, primus in Hiberniam induxit magnus ille apostolicus vir, P. Henricus Fitz Simons S. I. Per longam deinceps annorum seriem, apud sodales marianos eadem semper ad hos usque dies viguit fidei

constantia eadem etiam sunt instaurata virtutis exempla, ita ut hodie laeti cernamus inter Dublinenses viros tot tamque studiosos Mariae cultores, qui in varias quidem classes dispertiti, eodem tamen omnes spiritu imbuti, sese aliosque complures exemplo suo sanctificant.

Memores hodie antecessorum vestrorum, qui sub eodem Deiparae vexillo tam gloriose pro re catholica istic firmanda, ad sanguinem usque, decertarunt, omne quod nomen catholicum et professionem marianam dedeceat, longe a vobis filiisque vestris repellatis: haec ter saecularia festa novo sint vobis incitamento ad genuinum spiritum Congregationis Marianae in vobis magis magisque augendum atque fidelius in dies conservandum, quo in sua quisque familia primum, deinde vero late per urbem, exemplo verbo, opere, *apostolum agat*, ad totius gentis hibernicae aeternam salutem in primis, sed simul ad veram quoque terrenam prosperitatem.

Omnibus et singulis sodalibus benedictionem ex animo impertiens, vicissim me omnium vestrum orationibus enixe commendo.

Romae, die 7 maii 1928.

Omnium vestrum
Servus in X.to
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

V. — **Ad Excellentissimum Archiepiscopum aliosque RR. Episcopos Provinciae Ecclesiasticae Melbournensis in Australia, ob novi Seminarii dedicationem.**

Excellentissime Domine,

Faustissimam sane occasionem gratulatus, qua sollemniis dedicationis Seminarii Vestri, iuxta votum Summi Pontificis, praesidet ipse Eminentissimus Cardinalis Legatus Coetus Eucharistici Sydneyensis, mihi temperare non possum, quin de tanto gaudio tamque bonis auspiciis pro Ecclesia Australiensi velut praesens laeter. Cogitanti enim mihi prae oculis se sistit imago Collegii istius pulcherrimi, novis aedificiis recens adaucti, novaque consecratione iam sanctificandi, ubi a strepitu ac tumultu rerum mundanarum longe remoti, tot iuvenes, ex dioecesibus provinciae Melbournensis congregati, in optimam spem succrescunt, armaque spiritualia excudent, quibus deinde proelia Domini fortiter proeliari possint. Quod in hoc iuventutis flore ad excelsum finem parando Patribus societatis Iesu ab Excellentia Vestra eiusque suffraganeis Episcopis haud

infimae tributae sint partes, id humili gratoque animo iterum iterumque Vestrae in nos benevolentiae acceptum refero, spem fovens, fore ut Societatis Sodales in omnibus fiducia Vestra dignos sese exhibeant, pro viribus nitentes, ut alumni ipsorum curis commissi, virtute et doctrina insignes evadant, ad solacium Vestrum sanctaeque Matris nostrae Ecclesiae laetitiam.

Sacrum anulum humiliter deosculatus, me profiteor

Excellentiae Vestrae servum in Xto.

Tusculi, die 2 augusti 1928. WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

Huic epistolae Excellentissimus Melbournensis Archiepiscopus ita respondere dignatus est:

Melbournae, die 11 Novembris 1928.

Admodum Rev. in Christo Pater,

Gratulationes quas ad me Paternitas Vestra misit, occasione solemnis nostri Seminarii benedictionis ab Eminentissimo Cardinali ad Conventum Eucharisticum Legato peractae, laeto animo accepi; et de iisdem Vestrae Paternitati gratias quam plurimas ago.

Memorabilis sane fuit ille eventus; et honor singularis quo Summus Pontifex nostrum Seminarium insignivit hunc, saltem in nobis, Episcopis huius Provinciae, fructum produxit: ut nos, scilicet, mirifice stimulaverit ut maiore, si fas est, animo in solidam horum iuvenum educationem incumbamus ad Dei in his regionibus gloriam conservandam et propagandam.

Paternitas Vestra gratum suum erga me et Episcopos Suffraganeos animum humiliter exhibet eo quod Patribus Societatis Iesu nostri Seminarii directionem committendam curavimus. Sed si res bene et iuste perpendatur, nostrum, dulce quidem, officium esse videtur, ut Paternitati Vestrae omnino debitas intimo ex corde persolvamus gratias, tum propter apostolicam alacritatem qua Societas Iesu, ut nostrum onus ex parte saltem allevaret, Seminarii directionem suscepit, tum maxime propter egregios conatus eorum qui in praesentiarum Seminario nostro praesunt, ut hoc Collegium verus atque copiosus Sacerdotalis sanctitatis et scientiae fons quam primum evadere queat.

Vestrae Paternitatis servus in Domino
† DANIEL MANNIX
Archiep. Melbourn.

CATALOGUS DEFUNCTORUM

IN SOCIETATE IESU

a die 1 octobris 1926 ad 30 septembris 1927.

1. P. Alexander Carré, nat. Le Mans (Sarthe) 30 nov. 1854, ing. 6 sept. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Le Mans 2 oct. 1926; Prov. Franciae.

2. P. Victorinus André, nat. Charentus (Haute-Loire) 12 nov. 1866, ing. 14 oct. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Toulouse 5 oct. 1926; Prov. Tolosanae.

3. C. Albertus Schectiboudenne, nat. Saint-Henri (La Réunion) 15 oct. 1866, ing. 30 oct. 1887, Coad. temp. form. 26 apr. 1909, ob. Rose-Hill (Ile Maurice) 8 oct. 1926; Prov. Tolosanae.

4. P. Faustinus Corti, nat. Curio (Helvetia) 5 nov. 1856, ing. 6 nov. 1878, Prof. 4 vot. 19 mart. 1896, ob. Mangalore (India) 9 oct. 1926; Prov. Venetae.

5. P. Matthaeus van Nieuwenhoven, nat. Middelburg 13 aug. 1870, ing. 26 sept. 1888, Coad. spir. 15 aug. 1904, ob. Groningen 9 oct. 1926; Prov. Neerlandicae.

6. P. Aloisius Bouloumoy, nat. Pont-de-Barret (Drôme) 21 iun. 1856, ing. 25 nov. 1873, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Beyrouth (Syria) 10 oct. 1926; Prov. Lugdunensis.

7. RR. DD. Gulielmus F. O'Hare, Ep. tit. Maximianopolitanus et Vicarius Apost. Iamaicensis, nat. Boston in Massachusetts 23 ian. 1870, ing. 14 aug. 1888, Coad. spir. 15 aug. 1906, ob. Kingston in Jamaica 11 oct. 1926; Prov. Novae Angliae.

8. P. Ioannes Ryan, nat. Carnarvon in Wallia 25 iul. 1842, ing. 7 sept. 1860, Prof. 4 vot. 1 nov. 1878, ob. St. Beuno's (Tremeirchion, Flintshire, in Wallia) 17 oct. 1926; Prov. Angliae.

9. P. Henricus Padberg, nat. Heerenveen 28 mart. 1881, ing. 26 sept. 1899, Prof. 4 vot. 2 feb. 1917, ob. Oudenbosch 17 oct. 1926; Prov. Neerlandicae.

10. P. Petrus Neijboer, nat. Nijmegen 25 nov. 1849, ing. 26 sept. 1868, Coad. spir. 2 feb. 1882, ob Maastricht 17 oct. 1926; Prov. Neerlandicae.

11. C. Wendelinus Locher, nat. Bratsch (Helvetia) 17 apr. 1850, ing. 2 dec. 1882, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Spring Hill in Alabama, 18 oct. 1926; Prov. Neo Aurelianensis.

12. C. Gulielmus Biermann, nat. Menzel prope Rüthen (Westfalia) 6 iun. 1859, ing. 20 apr. 1887, Coad. temp. form. 2 febr. 1899, ob. Salisbury (Rhodesia merid.) 18 oct. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

13. C. Patritius Bresland, nat. Greenock (Renfrewshire in Scotia) 7 apr. 1897, ing. 1 feb. 1915, Coad. temp. approb., ob. London 21 oct. 1926; Prov. Angliae.

14. P. Philippus Millán, nat. Fuentelmonje (Soria) 5 feb. 1868, ing. 30 ian. 1890, Prof. 4 vot. 2 feb. 1906, ob. Culión (Filipinas) 23 oct. 1926; Prov. Castellanae.

15. P. Aurelianus Grijalvo, nat. Villazopeque (Burgos) 22 nov. 1879, ing. 28 aug. 1897, Coad. spir. 10 april. 1917, ob. Bogotá (Columbia) 23 oct. 1926; Prov. Legionensis.

16. P. Mauritius Stas, nat. Gand 3 dec. 1878, ing. 23 sept. 1899, Coad. spir. 2 feb. 1914, ob. Ranchi (Ind. Angl.) 25 oct. 1926; Prov. Belgicae.

17. P. Ioannes David Müller, nat. Schmerikon (St. Gallen, Helvetia) 30 dec. 1872, ing. 1 oct. 1891, Prof. 4 vot. 2 feb. 1909, ob. Florianopolis 27 oct. 1926; Viceprov. Brasiliae Meridionalis.

18. C. Rochus Terragno, nat. Scaldasole (Italia) 14 ian. 1843, ing. 8 sept 1864, Coad. temp. form. 8 dec. 1877, ob. Colville (Washington) 27 oct. 1926; Prov. Californiae.

19. P. Petrus Rolland, nat. Saillant (Puy-de-Dôme) 23 oct. 1857, ing. 27 feb. 1884, Coad. spir. 15 aug. 1898, ob. Paray-le-Monial (Saône-et-Loire) 28 oct. 1926; Prov. Lugdunensis.

20. P. Martinus Molloy, nat. Liverpool (Lancashire) 9 oct. 1860, ing. 7 sept. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Park Royal (Middlesex) 28 oct. 1926; Prov. Angliae.

21. P. Iosephus Adamski, nat. Stary Golebin (Polonia Maior) 14 feb. 1851, ing. 6 oct. 1866, Prof. 4 vot. 14 aug. 1885, ob. Kraków (in Prov. Poloniae Min.) 31 oct. 1926; Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae.

22. P. Paulus Atallah, nat. Séhert prope Mardin (Mesopotamia) 6 oct. 1854, ing. 15 mart. 1878, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Beyrouth (Syria) 31 oct. 1926; Prov. Lugdunensis.

23. P. Petrus Domergue, nat. Séné (Morbihan) 3 iun. 1859, ing. 9 oct. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Paris 31 oct. 1926; Prov. Franciae.

24. C. Iosephus Vidal, nat. Liñares (in Baetica) 19 mart. 1860, ing. 9 oct. 1887, Coad. temp. form. 2 febr. 1898, ob. La Guardia (Hispania) 31 oct. 1926; Prov. Lusitanae.

25. C. Aloisius P. O'Leary, nat. Westport (County Mayo in Hibernia) 4 mart. 1854, ing. 23 sept. 1900, Coad. temp. form. 2 feb. 1911, ob. Baltimore in Maryland 31 oct. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

26. P. Augustus De Saedeleer, nat. Alost 16 dec. 1872, ing. 23 sept. 1890, Prof. 4 vot. 2 feb. 1918, ob. Bruxelles 3 nov. 1926; Prov. Belgicae.

27. C. Ioachimus Oller, nat. Manresa (Barcelona) 21 aug. 1864, ing. 24 iul. 1886, Coad. temp. form. 15 aug. 1897, ob. Barcelona 3 nov. 1926; Prov. Aragoniae.

28. P. Stephanus Bonet, nat. Ille-sur-Tet (Pyrénées-Orientales, Gallia), 6 sept. 1895, ing. 12 sept. 1911, Schol. approb., ob. Montréal 4 nov. 1926; Prov. Canadae Inferioris.

29. P. Laurentius M. Fede, nat. Napoli (Italia) 8 febr. 1840, ing. 11 mart. 1856, Coad. spir. 2 febr. 1873, ob. Denver in Colorado 5 nov. 1926; Prov. Missourianae.

30. P. Gabriel Ignatius Ravel, nat. Napoli 1 feb. 1844, ing. 16 maii 1868, Coad. spir. 15 aug. 1878, ob. Bari 7 nov. 1926; Prov. Neapolitanae.

31. P. Paulus Régimbeau, n. Saint-Affrique (Aveyron) 8 feb. 1858, ing. 13 nov. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Rose-Hill (Ile Maurice) 9 nov. 1926; Prov. Tolosanae.

32. P. Alfredus Blatter, nat. Visperternen (Canton Valais, Helvetia) 6 maii 1849, ing. 8 sept. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1893, ob. Spring Hill in Alabama 10 nov. 1926; Prov. Neo Aurelianensis.

33. P. Thomas I. Conners, nat. Cincinnati in Ohio 11 iul. 1864, ing. 24 iul. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Cincinnati in Ohio 14 nov. 1926; Prov. Missourianae.

34. P. Ioannes Bouvier, nat. Sainte-Marie-de-Bains (Ille-et-Vilaine) 13 oct. 1847, ing. 8 sept. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1886, ob. Vannes (Morbihan) 16 nov. 1926; Prov. Franciae.

35. P. Eusebius Goñi, nat. Pamplona (Navarra) 5 mart. 1864, ing. 28 sept. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Aranjuez (Madrid) 16 nov. 1926; Prov. Castellanae.

36. P. Franciscus Luzi, nat. Roma 1 apr. 1858, ing. 2 maii 1879, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Roma 18 nov. 1926; Prov. Romanae.

37. C. Augustinus Marko, nat. Nižná ad Trnava (Slovachia) 1 maii 1898, ing. 30 iul. 1919, Coad. temp. approb., ob. Bratislava (Slovachia) 18 nov. 1926; Viceprov. Cechoslovacae.

38. C. Ioannes B. Rinaldo, nat. Saluzzo (Italia) 4 aug. 1845, ing. 7 iun. 1870, Coad. temp. form. 15 aug. 1891, ob. Los Gatos (California) 20 nov. 1926; Prov. Californiae.

39. P. Carolus Audibert, nat. Lyon 25 feb. 1857, ing. 15 oct. 1921, Coad. spir. 14 nov. 1926, ob. Paray-le-Monial (Saône-et-Loire) 21 nov. 1926; Prov. Lugdunensis.

40. P. Henricus Abel, nat. Passau (Bavaria) 15 dec. 1843, ing. 31 oct. 1863, Prof. 4 vot. 2 feb. 1880, ob. Wien 23 nov. 1926; Prov. Austriae.

41. P. Antonius Wilwerding, nat. Heidelberg in Minnesota 14 sept. 1866, ing. 31 aug. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Cleveland in Ohio 23 nov. 1926; Prov. Missourianae.

42. C. Ioannes Meynell, nat. Manchester (Lancashire) 6 iul. 1843, ing. 26 sept. 1860, Coad. temp. form. 2 feb. 1874, ob. Roehampton (London) 25 nov. 1926; Prov. Angliae.

43. C. Ioannes Hüsgen, nat. Husen (Westfalia) 8 feb. 1843, ing. 10 nov. 1872, Coad. temp. form. 2 feb. 1883, ob. Aalbeek (Neerlandia) 28 nov. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

44. P. Franciscus Pon, nat. Oloron (B.-Pyr.) 8 oct. 1855, ing. 7 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1892, ob. Béziers 29 nov. 1926; Prov. Tolosanae.

45. C. Ioannes Galbusera, nat. Morbegno (Sondrio) 21 iun. 1879, ing. 4 nov. 1907, Coad. temp. form. 15 aug. 1918, ob. Chieri (Torino) 29 nov. 1926; Prov. Taurinensis.

46. P. Ioannes Rubert, nat. Roosendaal 16 nov. 1853, ing. 26 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1892, ob. Amsterdam 30 nov. 1926; Prov. Neerlandicae.

47. P. Marcellus Chossat, nat. Marboz (Ain) 2 feb. 1863, ing. 6 dec. 1883, Prof. 4 vot. 15 aug. 1903, ob. Lyon 2 dec. 1826; Prov. Lugdunensis.

48. C. Franciscus Zuber, nat. Brig (Canton Valais, Helvetia) 29 oct. 1854, ing. 1 mart. 1873, Coad. temp. form. 15 aug. 1885, ob. New Orleans in Louisiana 3 dec. 1926; Prov. Neo Aurelianensis.

49. P. Iacobus A. Rockliff, nat. Liverpool (Anglia) 4 oct. 1852, ing. 30 sept. 1872, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Missoula (Montana) 4 dec. 1926; Prov. Californiae.

50. P. Aloisius Lebœuf, nat. St-Ours. (Québec) 15 feb. 1858, ing. 13 oct. 1877, Coad. spir. 15 aug. 1896, ob. Salisbury (Rhodesia) 4 dec. 1926; Prov. Canadae Inferioris.

51. P. Richardus Garcia, nat. Codesal (Zamora) 27 dec. 1858, ing. 14 sept. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Santander 5 dec. 1926; Prov. Legionensis.

52. P. Arthurus Delaude, nat. Cuxac d'Aude (Aude) 24 maii 1870, ing. 28 maii 1900, Prof. 4 vot. 2 feb. 1913, ob. Cuxac d'Aude 5 dec. 1926; Prov. Tolosanae.

53. C. Petrus Rogers, nat. Troy (New York) 16 maii 1863, ing. 27 dec. 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1903, ob. Portland (Oregon) 5 dec. 1926; Prov. Californiae.

54. P. Vincentius Gamba, nat. Chieri 8 oct. 1847, ing. 21 maii 1871, Coad. spir. 2 feb. 1888, ob. Chieri (Torino) 6 dec. 1926; Prov. Taurinensis.

55. P. Alexius Depailler, nat. Laps (Puy-de-Dôme) 5 oct. 1856, ing. 31 oct. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. St. Etienne (Loire) 6 dec. 1926; Prov. Lugdunensis.

